5. J. 264

Digitized by Google

II

TYRO

1807

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

Correctæ & inſtauratæ,

AUTHORE

R. P. ISIDORO PYRO

Ordinis Minimorum,

LIBRI TRES.

In quibus

Utiliſſimæ Prænotiones, & poſitiva novæ Dialecticæ Præcepta continentur.

Deus ſcientiarum Dominus, & ipſi præparantur cogitationes.
1. Reg. cap. 2.

VENETIIS M. DCCVII.
Typis Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino

D. BONAVENTURÆ POERIO.

Ex Ordine Minorum aſſumpto

ARCHIEPISCOPO SALERNITANO.

Author.

EDendarum lucubrationum frontem præclari alicujus Viri inſcriptione obſignare, ut illius reverentia nominis, tutiſſima velut umbra tegantur, Majorum authoritate, rationis dictamine innixa, & à nemine hucuſque improbata, receptum eſt: ne in ipſo vitæ exordio, aut natalium contemptu, aut materiæ ignobili-

tate, oblivioni damnentur. Idcircò primogenitum hunc informemque ingenioli mei fœtum proditurus, recenſito inhærens uſui, quin potiùs genio indulgens, aut veriùs, quod mei eſt officii ſuſtinens, Tibi, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, dicandum, tuoque magno Nomine ditandum, ſine longa mentis contentione, decrevi. Quamvis enim non ignorem ex Hieronymo, quòd à Detrahentium dicacitate nullus immunis eſt, niſi qui nihil ſcripſit; tui tamen opinione patrocinii, quaſi ſalutari præſidio adverſus obloquentium rabiem munitum exopto: ut latrare quidem à longè, ſi velint, poſſint; mordere autem neque valeant, neque audeant. Ejus fortu-

næ

næ ſatis ſuperque conſuluiſſe non vereor, dum Heroi, cujus virtuti vel nobilioris Generis fortunam à juventute ipſa ceſſiſſe compertum eſt, adoptandum commendo; nihilque prorsùs ſollicitudinis in Parentis imbecillitate ſupereſſe ulteriùs noverim, ſi ad Te humiliter accedentem, ingenita, qua polles, humanitate ſuſceperis, atque avara eorum ſpe potiri, utrũque non abnueris. Equidem Stellæ, quæ in glorioſo familiæ tuæ ſtemmate radios ſupra Circinum extendunt, ut in regendis populis Vigilantiam & Juſtitiam præmonſtrant, ac facto comprobant; ſic nobis pro rectitudine & æquitate Cogitationis & Iudicii obtinenda decertantibus, protectionem ſpō-

dent: ſimulq; Legentes inſtruunt ad ſuſpendendam cenſuram, donec ſingula capita perviderint, rectoque ac maturo judicio rei circumſtantias metiti fuerint. Munus igitur, quodcumque eſt, eodem excelſo lumine, quo & Magnam Græciam Bruttiamque noſtram, & Seraphicum Ordinem, & Salernitanam Diœceſim, & ipſas denique ſacras Infulas illuſtras, irradia: ut in conſpectu tuo, licèt parvum, felicitèr grandeſcat, & publicæ lucis ſub fauſtiſſimo tui Nominis omine, gratiam mereatur; ſentiatque in ſe eoſdem munificentiæ effectus, quibus me gratis, meoſque pariter conſanguineos proſequi conſueviſti. Vale, & in ævum vive.

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione & approbatione del P. Fr. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquiſitore nel Libro intitolato *Philoſophia Rationalis correcta & inſtaurata Auctore P. Iſidoro Pyro*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi & buoni coſtumi, concedemo licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che poſsi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 30. Maggio 1706.

Federico Marcello Proc. Ref.
Marin Zorzi Ref.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

APPROBATIO ORDINIS.

Fr. Joſephus Gaſch Lector Jubilatus, Supremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Qualificator, ac totius Ordinis Minimorum humilis Corrector Generalis.

NOſtri auctoritate officii permittimus R.P. Iſidoro Pyro de Apriliano, Ordinis noſtri Sacerdoti, S. Theologiæ Lectori, Typis mandare opus philoſophicum, modò priùs accipiat approbationem A. R. P. Provincialis Provinciæ noſtræ S. Franciſci, ac duorum Theologorum ab eodem nominandorum, ac ſerventur omnia de jure ſervanda. Datum Barcinone 25. Maji 1702.

Fr. Joſephus Gaſch humilis Corrector Generalis.

De mandato Reverend. Patris Generalis
Fr. Eugenius Rolla Collega Italus.

Fr.

Fr. Joſeph Maria Perrimezzi Ordinis Minimorum Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, & in hac Primogenita Sancti P. Franciſci de Paula Provincia Studiorum Regens, & Corrector Provincialis Apoſtolicus.

POteſtate Nobis facta à Reverendiſs. P. noſtro Generali, RR. Patres Petrum à Longobardis Sac. Theologiæ Lectorem Jubilatum, & Collegam noſtrum Apoſtolicum, necnon Jo: Baptiſtam à Serra Sac. Theologiæ paritèr Lectorem Jub. in Philoſophici operis, cui titulus *Philoſophia Rationalis correcta & inſtaurata* à R.P. Iſidoro Pyro de Apriliano in Conſentina noſtra Magnaniſtica Academia Sac. Theologiæ Lectore, ſubtilitèr concinnati, Reviſores deſignamus ac deputamus; Ipſum etiam opus, quantum ex Nobis eſt, ſummoperè approbantes, & commendantes. Datum ex hoc noſtro Paulitano Conventu hac die 4. menſis Auguſti 1702.

F. Joſeph-Maria Perrimezzi Corrector Provincialis Apoſtolicus.

Pri-

PRimam hanc Philoſophiæ partem à R.P. Iſidoro Pyro de Apriliano noſtri Ordinis Minimorum Sac. Theologiæ Prælectore ordinario elaboratam, ex noſtri A.R.P. Provincialis mandato accuratè perluſtrantes, nihil in eo orthodoxæ Fidei aut bonis moribus diſſonum comperimus; quin religioſam in alienis refellendis, noviſque cudendis placitis, cum doctrinæ ſoliditate & perſpicuitate modeſtiã gravitatemque, ætatis ſuæ jura longè ſuperantem, mirati ſumus. Quare pro communi utilitate atque eruditione vulgandam exiſtimamus. Datum Conſentiæ die 9. Decembris 1702.

Fr. Petrus à Longobardis Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, & Collega Provinc.

Fr. Joannes Baptiſta à Serra S. Theologiæ Lector Jubilatus.

U. J. D.

U. J. D.

FRANCISCVS-ANTONIVS BONACCIA

A Mottæ Sanctæ Luciæ

Citerioris Calabriæ.

CANDIDO LECTORI.

EN tandem, Lector eruditiſſime, luci appropinquat publicæ Philoſophia ab A.R.P. Iſidoro Pyro, illuſtris Ordinis Minimorum Prælectore eximio jampridem elaborata, & ad literarii orbis infortuniũ, hactenus veluti ſepulta, ſeu veriùs hùc illùcque ſine Authoris nomine, & præter ejuſdem voluntatem pervagata. Tantæ univerſo Studioſorum cœtui irrogatæ injuriæ auctrix fuiſſe videtur mira ac planè ſingularis (quanquam in hoc non admodum lau-

dan-

danda) illius humilitas & modeſtia, quæ reliquos Authores reverenter ſuſpiciens, propriaque ſenſa, nulli aliàs jure diſplicitura, parvi ducens, ea publici Juris facere pertimuit, recuſavit. Vicit verò poſt longos & importunos impulſus, Amicorum non infimæ notæ ſtimulus vel authoritas, meæque imprimis aſſiduæ preces, ut quæ ſub diuturno ſilentio obdormiere, ad Typos condecorandos, & Scholaſticos omnes viros erudiendos excitarentur. Noluit tamen ſimul ſcripta cuncta, quæ copioſa ſunt, & ultra integram Philoſophiam Rationalem & Univerſalem juxta propria dogmata, necnon Naturalem ad mentem P. Emmanuelis Maignani Tyronibus accommodatam, Scholia quædam ſubtiliſſima in Apocalypſim, & alia mihi perfunctoriè præmonſtrata, continent, nunc primùm evulgare, ſed Prodromum tantùm, & operum ſuorum partem perexiguam: eo forſan conſilio ductus, quo Patriarcha Jacob Geneſ. 32. *cùm perterritus occurſum Eſaü fratris ſui, diviſit populum, qui ſecum erat; greges quoque, & oves, & boves, & camelos in duas turmas, dicens: Si venerit Eſaü ad unam turmam,*

&

& percuſſerit eam, alia turma quæ reliqua eſt, ſalvabitur. Verùm nullus ſiniſter caſus à tanto Authore erat pertimeſcendus: neque enim Momorum ictibus patent opera, quæ ad Cleanthis lucernam evigilata ſunt, & numeris omnibus abſoluta, qualia citra invidiam ſunt hujus Philoſophi ſcripta, à Sapientibus comprobantur. Equidem in tribus hiſce Libris, ut ex ungue Leonem cognoſcamus, deprehendere eſt cum acumine, brevitate, & profunditate doctrinæ, perſpicuitatem claritatemque (quod comparari utrumque vix poteſt) mirabiliter conjunctam. Efficaciæ item argumentorum, omnigenam eruditionem; gravitatique materiei, verborum leporem & elegantiam, ad aures animoſque demulcendos, interjectam reperies. Uno verbo:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Denique quis alius ſuperiorum temporum Philoſophus adeò duram, quam Author noſter aggreſſus eſt, provinciam corrigendi receptiſſimas communi plauſu Dialecticæ vulgaris regulas, & novas proprio marte fabricandi, ad tutiorem & expeditiorem ſcien-

tia-

tiarum adeptionem, pertentavit? Aggreſſus eſt, inquam, hic, & ad exitum perduxit. Pro cujus ſingulari tibi & aliis impertito beneficio, tum præſens opus, quod poſitivã peculiaris ſuæ Logicæ præcepta complectitur, alienæ correctionem ad ſecundam Partem remittens; tum etiam reliqua, quæ me inſtigante, parat monimenta, grato animo excipies. Vale, & prædictis fruere.

AD

Digitized by Google

AD
Philoſophiam univerſam
PROLUSIO.

1. INter varias occupatio-
nes, quas dedit Deus fi- Eccleſ. 1.
liis hominum, peſſimam 13.
quidem vaniſſimamque
omnium nònnullus exi-
ſtimaverit, quæ philoſophicis impenditur
diſciplinis: vel quòd miſera utplurimùm
videatur Philoſophorum conditio; vel
quòd rerum veritas in Democriti puteo
profundè demerſa ſit, inacceſſibilemque
planè ſedem inhabitet. Enimverò à ne-
mine unquam negandam puto Sapientum
infeliciſſimàm ſortem, ſi eorundem penſe-
tur vita hinc laboribus afflicta, hinc mor-
bis correpta, hinc perſecutionibus exagi-
tata, hinc falſis criminibus circumventa: Volat. lib. 14. Anthr.
ſi ſpectetur Demonax victum quæritans, Sab. li. 8.
Diogenes dolio incluſus, Anaxagoras c. 5. Laert. li. 2.
exilio damnatus, Ariſtoteles Athenis pro- c. 3.
fugus, Cato ſputis deriſus, Socrates mor- Sen. de cõſ. ſapient.
te affectus, Philoſophi denique omnes Ælian. de var. hi. c. 5.
mo-

Atha. l.12. c.34. modò ex Italia totà à Domitiano, modò ex toto ſuo regno ab Antiocho Rege injuſtè proſcripti.

2. Viguit ævo omni, viguit (proh duram certè memoriam!) in venerabiliores ſapientiæ patres impia hæc, ſeu ignaræ plebis, ſeu inſanientium tyrannorum immanitas: luſit olim, nec ſatis adhùc, impudens Sors in lectiſſima quæque, quod vix poſſum non verecundiùs memorare, Reipublicæ ornamenta, fatuis æquè ac crudelibus furiis ſuis: ut Apollinis cum Marte videantur jura confuſa; perindeque jam demùm ſit literarios hortulos, ex quibus ſuaviſſimi & expectatiſſimi pacis fructus colligendi eſſent, ingredi, atque in campos bellicos præliandi gratiâ deſcendere: quamobrem veteres Poëtæ Palladem non minùs bellis quàm litteris præſidentem fingere, haſtamq; ſimul & libros geſtantē figurare conſueverunt; & meritò Franciſcus Sfortia apud P. Jovium. quidam rogatus cur litteras neſciret: *Quia* (vel ex hoc ipſo reſponſo litteratiſſimis accenſendus) *diſcere*, inquit, *non potui unâ eademque manu librum tenere, & gladium*; ſenſatè innuens ſtudiis dedito, adversùs

versùs

verſùs fortunæ injurias, invidorum æmulationes, detrahentium garrulitatem, univerſique penè orbis , ſtultorum ſcilicet, quorum infinitus eſt numerus, conjurationem, ineundum eſſe certamen.

3. Si ergo tàm *rara eſt conjunctio virtutis & fortunæ , Minervæque cum Junone nullum unquam conſortium fuit, nec cum ſapientia facilè rerum domina fortuna conſentit*: ad quid amabò philoſophicis curis tàm anxiè defatigari , aſſiduis contemplationibus vitam conſumere , adverſæque fortunæ manibus , acriùs exindè nos feritura arma ſuppeditare? Quid, inquam, hoc in mundo ſic ſordidè corrupto laudabiles iſtiusmodi exercitationes prodeſſe poſſunt : ubi illæ ſolùm aureæ vocantur doctrinæ, quæ auri authoritate fulciuntur? Claudantur ſcholæ , quieſcant cathedræ, academiæ conticeſcant , ſcriptiſque tandem dilaceratis , ac libris igne conſumtis, ad victum ſolummodò quærendum, & opes coacervandum, quibus mediis ad dignitatum culmina breviſſimus omnium patet acceſſus , induſtrias divertamus. Nonnè ſatius conſequendæ humanæ feli-

Juxt. Lypſ. l. 2. admiran. c. 15. Ficin. epiſ. l. 11.

citati foret, præ Platonicis Ariſtoteleisve voluminibus, idiographos computorum codices evolvere, & Rationum, nulli paſſim rationi juſtitiæq; inhærentium, doctrinam profiteri? Nõnè item tutius illas ſaltem, quibus æruſcari liberiùs valeat, profeſſiones excolere, ſivè veriùs (ut plurimi, anulum geſtantes, ut innuant, veram ſapientiam in auro & argento poſitam) primoribus dumtaxat labris attingere, putà de quibus Vulgus:

Dat Galienus opes, & ſanctio Juſtiniana:
Ex aliis paleas, ex iſtis colligo grana?

4. Abſit tamen utrumque, prudentiſſimi Candidati. Tantum ſanè (ut nullus cuiquam hac ex parte, noſtra calumniandi ſtudia locus pateat) ſcholæ jam dictæ proderunt, quantum Dionyſius philoſophiam Platoniſque diſciplinam ſibi, poſt converſum in vilem pedagogiam Regnũ, profuiſſe Irriſori teſtatus eſt dicens: *Ut tantam ſaltem fortunę mutationem æquo animo feram.* Ea nimirùm eſt facultatis hujus vis atque excellentia, *ut fortunatis quidem ſit ornamentum, infortunatis refugium.* Equidem parum curat ſiniſtræ ſortis

Plutarch.

Democr. apud Ant. p. 1. ſerm 50. Meliſs.

tis

tis incurſus, qui ſupra ſortem eminet; nec nimis timet sæculi caduci viciſſitudines, qui æternitati pedes immobiliter infixit, ut meritò dici poſſit, Sapientem aſtris dominaturum. Ecquid enim refert, Democritum Abderiten nihil penitùs poſſidere Sab.li.8. c.15. cùm inæſtimabile ingenium poſſidet? Quid Socratem ſordido uti palliolo, ubi pretioſiſſimo ſapientiæ podere veſtitus eſt? Laert. Spernit corruptibilia indumenta, veſtibus immortalitatis ornatus; deſpicitque evanidas opes, alio ditatus theſauro, quem fures nec effodiunt, nec furantur. Sapiens Matt.6.20. ſibi ipſe ſufficit, exteriorem aliam gloriæ retributionem nequaquam emendicans.

5. Sit licèt Diogenes domo, civitate patriâque carens, pauper, & erro; non idcircò habet unde Magno Macedoni facultates invideat. Quare oblatam aliquandò pecuniæ ſummam cynicâ libertate cōtemnens, Sint, ait, Alexander tecum ipſo divitiæ, quibus inſatiabilis terrenæ gloriæ cupiditas poſſit expleri. Tecum, inquam, cui tot regna commiſſa ſunt, nationeſque concreditæ: Cui in votis eſt immenſum imperium & tueri, & extendere:

Plutarc. de tranquillit. animi. cui unus anguſtus orbis, ſed cùm ab Anaxagora infinitos audieris, luges donec obtineas. Tecum tandem aurum ſit & argentum, cui tantum deeſt, quantum cupis. Ego uno dolio, coque parùm integro, contra frigora caloreſque contentus ſum. Orbicularem hanc domum eligens, nec cæleſtibus ſphæris egebo, nec inſtabiles fortunæ ludentis rotas reformidabo: quia nec illæ poſſunt mihi aliquid erogare, cùm nihil velim; neque hæ quicquam auferre, cùm nihil habeam. O virum revera divitem, quia nihil appetentem! *Potentiorem* ſanè, ſi Senecam audiamus, *ac* Sen. de benef. lib. 5. *multò locupletiorem omnia tunc poſſidente Alexandro: plus enim erat quod ille nollet accipere, quàm quod hic poſſet dare.*

6. Et profectò quid opes & ſceptra, ubi ſpiritu ſapientiæ non animantur, niſi ut regnorum interitum, & viciniora præcipitia moliantur? Quæ vera urbium provinciarumque felicitas, quævè, niſi ficta & admodùm brevis, animorum humanarumque rerum compoſitio ſperari poteſt, ubi exulant litteræ, ubi vel non Philoſophi regnant, vel Reges minimè philoſophan-

phantur à. Tu ſola, ò pretioſiſſima ac nunquam ſatis commendabilis Virtus & Sapientia: tu, inquam, una in potentatibus firmitas eſſe potes. Tu in diſcriminibus clypeus, in adverſis asylum, in proſperis ornamentum, in perſecutionibus ſcutum in tenebris lux, in ſordibus lavacrum, in naufragio portus, in tempeſtate polare ſydus. Tu auro pretioſior, argento pulchrior, divitiis omnibus opulentior. Digna ſanè quâ contentus Rex ſapientiſſimus, cetera cuncta parvipenderet, dicẽs: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & prapoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretioſum: quia omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Sap. cap. 7 n. 7. 8. 9.

7. Aptiſſimum rei ejusdem teſtimonium, ex ſeptem Græciæ Sapiẽtibus unus Bias Prienenſis philoſophus poſteritati reliquit. Captâ nanque patriâ, cùm univerſi fugerent, rerum pretioſiſſimarum faſciculis onuſti, ipſeque, cur ex bonis Laërtiu

ſuis ſolus nihil ferret, curiosè interpellaretur, reſpondiſſe fertur: *Omnia bona mea mecum porto*: perindè ac ſi apertè diceret: Veſtrûm eſt, ò cives, qui virtutis ære forſitan deſtituti eſtis, temporalium divitiarum ſarcinas aſportare: me omnes opes in ſola virtute ſapientiaque conſiſtentes, indiviſibiliter comitantur. *Omnia bona mea mecum porto*: unam nanque virtutem porto, ſine qua fortuita cuncta, quæ boni ſpeciem mortalibus præſeferunt, nulla ſunt, & in qua viciſſim bona ſingula, quæ in mundo exiſtunt, mirabili planè nexu conjuncta reperiuntur. Omnia itaq; bona mea mecū porto, ſi mecum virtutem porto, quæ ſemper cõſtans, ſemperq; ſtabilis ac firma; quę nec in vita nos linquit, nec poſt mortē nos deſerit; penè ſine exemplo fidus Achates, & in feretro nos ſectatur, & tumulum nobiſcum ingreditur: quandoquidem

Omnia cùm pereant, eſt virtus una perennis
Hæc immortales reddere ſola poteſt.

Nunquid enim eorum bonorum pondere humeros onerabo, quæ tàm faciliter evaneſcunt? Nunquid inter propria computabo patrimonia, quæ conſtat non

ma-

magis poſſidentium, quàm quorumlibet eſſe, velut in talorum ludo huc illucque transpoſita? An ignoratis, hæc & ſimilia, quibus humana tantum tribuit opinio, quæque univerſarum pænè gentium affectus mirabilitèr extorquent, ſuavemque in earundem cordibus tyrannidem exercent, naturalitèr eſſe corruptibilia, fallacia, lubrica, quamprimùm interitura? Eorùm ſolummodò ſupremi Largitoris munerum depoſitarius gloriabor, quæ nec detrahi unquam, nec ſubripi à latronibus poſſunt, quæ edaciſſimo Temporis denti nequaquam ſubjacent, nec Fortunæ luſibus obnoxia ſunt. Illa illa ſeligam bona, pro quorum conſecutione cætera bona Thebanus ille liberiùs philoſophaturus, in mare projicere neutiquàm dubitavit, dicẽs: *Abite in peſſum malæ cupiditates: Ego vos mergam, antequam ipſe mergat à vobis.* Crates Philoſ. relat. à S. Hieron. contra Jovin.

8. Omnia igitur, nudus licet & infans bona mea mecum defero: & quænam bona, niſi Philoſophiam? Quæ humani ingenii ſuaptè naturâ mobiliſſimi, ne in foveam curſu ſuo præceps incidat vitiorum, lora habenaſque coërcet: quæ naturalium ve-

ritatum jucundiſſimam cognitionem mentibus ſubminiſtrat: quæ ſublunarium corporum principia & cauſas utiliſſima perquiſitione rimatur: quæ mixtorum componentia & effectus, innumeraque naturæ phœnomena diligenti ſpeculatione conſiderat: quæ ex inferiorum rerum notitiâ quaſi per quoſdam gradus ad ſupernarum veritatum agnitionem intellectum perducit, & *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta coſpici facit.* Illã, inquã, facultatem, vel potiùs illum bonorum cumulum, *ad quæ niſi piiſſimus Creator admiſiſſet, non fuerat* (ut inquit Seneca) *operæ pretium naſci. Quid enim erat quòd in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? An ut cibos & potiones percolarem?* Et ante ipſum Romanæ eloquentiæ parens Cicero: *O vitæ philoſophia, dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modò nos, ſed omninò hominum vita ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti, tu eos primò inter ſe domiciliis, deindè conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra*

Ad Lucil. in præf. natural. quæſtion.

Tuſc. quæſt. lib. ult.

giſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos ut antea magna ex parte, ſic nunc penitùs totoſque tradimus. Quamobrem, ut jam ad caput regrediamur, nec imperitorum contumeliæ, nec malignantium molimina, nec præpotentium perſecutiones, nec nebulonum blateramenta, nec tandem ulla fortunæ jacula poterunt animum à litterarum amore deterrere, dulcedinem contemplationis philoſophicæ venenare. Sit una ratio: horum omnium fomes, ſi quis eſt, invidia eſt: quæ cùm feratur in bonum concupitum, ſatis apertè indicat philoſophiam, ex quo omnibus eſt inviſa, omnium temporalium bonorum plenitudinem ſuperare.

9. Neque verò expoſitam hactenùs philoſophiæ utilitatem quadantenùs imminuit objecti difficultas. Etſi enim rerum veritas tàm arduæ ſit indaginis, ut Romanus Sextius ad deſperationem fermè adigeretur, & Heraclitus inanes hominum conatus commiſerans, in lacrymas difflueret: nullumque ferè in ſcholaſtico progreſſu punctum reperiatur, in quo non mu-

mutuò Doctores pugnaciſſimè digladientur: Idipſum nihilominùs ad noſtram ſaltem cohibendam ſuperbiam, reprimendamque vanam mortalium præſumptionem valiturum, nullus inficiabitur. Nam ubi in perviis naturæ negotiis pro merito reſolvendis mens deficere comperitur, fatendum eſt eandem ſupernaturalibus myſteriis enucleandis imparem eſſe. Præterea arduæ res, difficileſque provinciæ, vires noſtras potentiùs exercentes; atque animi limites conatu ipſo quodammodò ampliantes, non leve ſæpiùs afferre emolumentum ſolent: quare ut ſtrenui militis eſt, operoſiora aggredi facinora, periculoſa ſubire certamina, & ad ſumma ſemper contendere; ſic egregii eſt ingenii, ſublimiores quaſque notitias venari, tuncque maximè ad veritatis lucem eruendam animum adjicere, cùm difficultatum umbris conſeptam videt: quatenùs laudis illius gloriæque palmam, quæ vulgaribus ac teneris ingeniolis, laboris nomen averſantibus, denegatur, conſequi valeat, cùm indubium omninò ſit, quòd

Silius. *Per aſpera duro*

Ni-

Nititur ad laudem virtus exterrita divæ.

10. Cæterùm non eſt adeò reperiundæ omnis veritatis aditus humanæ rationi præcluſus, ut otio ſoporatam oporteat vitam tranſigere: alioqui innumeræ Scholæ, ac publicæ Academiæ in Eccleſia Dei à Sũmis Pontificibus erectæ, ad deludendas fidelium mentes ſolummodò deſervirent; ſtultique planè fuiſſent primi nominis viri, qui ſpretis ampliſſimis patrimoniis, abdicatis ſæculi pompis, totâ ferè vitâ ſtudiis vacare, totque incommoda & labores pro adipiſcenda ſapientia, invicto animo ſubire non dubitârunt. Et ad quid Pytagoram remotiſſimos adire populos, tranſire maria, luſtrare provincias: ut eos, quorum doctrinam varia perſonabant gymnaſia, magiſtros haberet? Quorſum, obſecro, Apolloni, peragraſti regna, transfretaſti æquora, penetraſti gentes: ut quorum ſenſeras famam, docentes audires? Ad quid alios tandem terrâ marîque curriſſe vias, noctes duxiſſe inſomnes, atque ementito ſexu, ſe civium hoſtiumque expoſuiſſe certamini, ſolius ſtudio addiſcendæ philoſophiæ, ſi omnia prorsùs humano

no captu ſuperiora eſſent? Nunquid adeò vivus & efficax ſciendi appetitus hominibus univerſim ingenitus, erit ad impoſſibile? Abſit de providentiſſimo naturæ Authore qui ipſum impreſsit, tàm indigna ſuſpicari.

11. Itaque rerum agnitionem perdifficilem quidem dixerim, at non penitùs impoſſibilem, ubi rationis lumen ſuper nos à principio ſignatum, nondum præconceptæ erronearum nebulæ opinionum offuſcaverint; & præjudicia, quæ maximopere ingenium ab aucupanda veritate deturbant, procul extiterint. Ingenuo veritatis amico vitioſa hæc initia cavenda ſunt. Qui primo lacte, vel dicam veneno alicujus opinionis imbutus eſt, aut uni doctrinæ quantumvis falſæ, totum animum à principio devovit; vix ad contrarias attendit amplius rationes utcumque evidentiſſimas, ne à ſuo ſenſu dimotus, palinodiam canere teneatur. Miraberis pediſſequos iſtos ſemel acceptæ fidei tàm rigidos cuſtodes, ut doctrinas alias, hoc uno titulo quòd ſcriptis eorum contradicant, omni præcisâ diſquiſitione, repudient:

dient: vel ſimilitèr Vetuſtati, cui primùm adhæſerunt, ſic tenacitèr addictos, ut probabiliora dogmata, quorum vix ſimplex rumor aures percuſſit, ſolâ Novitatis ſuſpicione condemnent. Hos ſanè ita fœdè atque infeliciter deceptos monet obteſtaturque Hieronymus, *ut legant priùs & poſteà deſpiciant: ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare.* In Prolog. in Iſaiæ.

IV. Tantum multorum vitium, quo & rationi injuria infertur, & propriæ libertati præjudicium irrogatur, in cauſa eſt ut denſiſſimis, & quidem voluntariè offuſis inſcitiæ tenebris, cæca ſemper detineatur humanitas; inquirendæque veritatis, cui nullas hactenus Hercules columnas figere potuit, ſpes omnis & occaſio præripiatur. At quis nos, bone Deus, ingenuâ præditos mente, his coarctavit anguſtiis, ut quæ per cuncta opera tua, ſolutis cognitionum retinaculis ſpatiari data eſt, jam in obſequium humanæ fidei captiva duceretur? Vel quæ te, ò dulcis Philoſophia, fata cogere potuerunt, ut jucundiſſimam Libertatem, quæ te facultatem omnium Regi-

ginam, ſceptro manibus à Poëtis attributo, declarabat, in miſeram commutares ſervitutem; & ubi priùs claram oculiſque micantibus te depingere apud Veteres mos inoleverat, quòd res omnes oculatâ judicii lance perpenderes; nunc depoſito rationis lumine, in ſimplicem credulitatem redigereris?

13. Eja agite, erubeſcamus, præterquàm in theologicis myſteriis (in quibus *curioſus ſcrutator majeſtatis à gloria opprimitur*) abſque prævio examine, doctrinis alienis aſtipulari, & in magiſtri verba, niſi ratione confirmante, jurare. *In philoſophicis caſtris non tam*, inquit Tullius, *authoritatis in decertando, quàm rationis momenta quærenda ſunt*. Erubeſcamus, temerè uni peculiari diſciplinæ colla ſummittere, ubi ratione ipsâ duce, Deoque magiſtro, apertum ubique librum, orbem nempè univerſum cunctis expoſitum, pugillo ſuſtinente, ſecurior feliciorque philoſophandi panditur via. *Semper ſententiam unius ſequi* (verba ſunt Annæi Senecæ) *non id curiæ, ſed factionis eſt*. *Aſſurgo itaque* (ut ſenſum meum cum Juxto Lypſio

Prov. 25. 27.

Cic. lib. 1. de natura Deorum.

Sen. de vita beata cap. 30.

pſio

pſio tandem aperiam) *& veneror inventa inventoreſque ſapientiæ: ſed ut homo homines, & qui non domini noſtri, ſed duces ſunt. Nec homini uni, immò nec ſectæ diſtrictè adhærendum. Quæ ſervitus iſta ſit? Alius jugum ſubeat. Tu mecum, ſive cum Seneca aude profari: Non me cuiquam mancipavi: nullius nomen fero: multum magnorum Virorum judicio tribuo, aliquid & meo vindico.* Lib. 1 manuduc. ad ſtoicam philoſ. diſert. 4.



Digitized by Google

LIBER I.

DE NATURA

Et qualitate Philoſophiæ Rationalis.

NUllis præmiſſis cum vulgari Scriptorum methodo & conſuetudine, quam ſcopo noſtri operis haud neceſſariam ducimus, ſeu totius philoſophiæ, ſeu dialecticæ rudimentis, hanc ipſam philoſophiæ partem ſeriò contemplandam, primo gradu acceſſuque ſalutamus. Neque enim rem ex profeſſo, ac per ſingula capita, quibus in Lyceis agitur, pertractare pollicemur; ſed ſelectiora quædam, ac notabiliora tantùm, vel parùm agitata, ſeu minùs rectè ab aliis, noſtro judicio, hucuſque tradita aut reſoluta, proponere, proque viribus examinare conſilium eſt.

Digitized by Google

CAP. I.

Nomen, Definitio, Ortus, Præſtantia, Arduitaſque Philoſophiæ Rationalis.

1. ERgo Rationalis Philoſophiæ (ut ab ejuſdem appellatione dicendorum materiam auſpicemur) nomen ab antiquitate mutuavimus. In tres namque partes univerſa olim, duce Platone, Philoſophia diſtribui conſueverat, nempe in Realem, Moralem, & Rationalem, ſic fortaſſis appellatam, quòd Rationis actus dirigat, canoneſque ac regulas rectè ratiocinandi ſeu diſcurrendi præſcribat; vel quòd de quibuſdam agere intendat, quæ, niſi ea rationalis intellectus ſuâ conſideratione fabricaret, in natura minimè invenirentur. Quamvis autem eandem veteres Peripatetici *Logicam*, alii *Dialecticam* nuncupaverint (præter quoſdam, qui ad ſolam illam partem, quæ de probabilibus diſſerit, nomen hoc gratis coarctant) in idem tamen recidunt, cum λογος

græ-

græcè modò ſermonem, modò rationem ſignificet; & διαλεγομεὶ idem latinè ſonet ac *Diſſero*, vel, ut vult Plato, *Rationem reddo*: quam ſanè nomenclationem, velut propriâ canitie venerabilem, approbat Sanctus Thomas *in proëm. primi Poſt.*

2. Scimus etiam aliis titulis, putà Organi, Clavis, Januæ ac ſimilibus eandem paſſim condecorari, ut forſan per primum intelligatur, quòd ſicut Organum eſt inſtrumentum ſentiendi, ſic ars noſtra eſt inſtrumentum diſputandi: Clavis verò Januaque dicitur, quòd ipſa fores philoſophicæ domûs pandat, & cæteris diſciplinis adytum præbeat. Hujuſmodi tamen turgida & ampulloſa vocabula, in torculari veritatis poſita, nihil exprimunt aliud ſuper illud jam anteà expoſitum. Quamobrem concludere poſſumus, hanc, quocumque demum nomine cenſeatur, philoſophiæ partem, *eſſe diſciplinam mentalium operationum directricem*; huncque præcipuè finem primævæ ſuæ inſtitutioni locum feciſſe.

3. Hæc quæ de nomine ac definitione ſcripſimus, ſatis apertè inſinuant, id quod

ad tertiam tituli partem attinet, undè rationalis ipſa Philoſophia ſive Logica primò habuerit originem. Cùm nimirum humana mens paſſim deficiat, atque in innumeros errores vitiaque prolabatur, ut dicemus *lib.2.* id ſeriò advertentes homines, cœperunt de arte ea vitandi atque emendandi cogitare: quapropter benè obſervantes, quas ob cauſas errare conſueverit; eis per nonnullas regulas providere conſtituerunt: quæ poſteà regulæ, longâ, ut ajunt, experientiâ probatæ, in unam integram Artem coaluere; itaquod eadem ex causa ob quam conſtat inventam Ethicam, credenda ſit introducta ab hominibus Logica: ut non minùs ſcilicèt intellectui erroribus deturpato, quàm voluntati criminibus corruptæ auxiliari potuiſſent.

4. Porrò ex his unuſquiſque intelliget primò, quantum interſit inter Logicam naturalem & artificialem. Naturalis enim eſt ipſum lumen rationis humanæ à ratione divina derivatum, ſive ingenita illa intellectûs vis atque energia, facultaſque à natura impreſsa, quâ nullis inſtructi regulis,

gulis, etiam ruſtici diſcurrunt, & cùm opus eſt, ſuas rationes efficaciter adducunt; Artificialis verò eſt habitus ac diſciplina, ſtudio & labore comparata, quæ ex prævijs obſervationibus præcepta tradit ad intellectum erudiendum. Unde patet primam procedere per actus directos ſupra rem; ſecundam per actus reflexos ſupra cognitionem.

5. Intelligitur ſecundò quantùm hæc ars & ſcientia aliis ſcientiis & artibus, unâ demptâ ſacrâ Theologiâ, nobilitate præcellat: cùm enim omnis facultas ſpeciem ſuam accipiat ab objecto, & logicæ objectum ſit intellectio ſeu cognitio ſpiritualis, quæ eſt res & operatio nobiliſſima & omnium prima; conſequens eſt ipſam logicam cæteris facultatibus (præter illam, quæ habet pro objecto Deum, vel aliud cum Deo connexum) dignitate longè præſtare. Inſuper quid optabilius integrâ mente, quæ verum valeat à falſo diſcernere? Quid utilius, non modò pro ſcientiarum acquiſitione, ſed pro ſingulis quoque vitæ civilis officiis, recto uſu Rationis? Hinc enim proveniunt, ut quidam

ſapientiſſimè advertit, injuſtæ & malè motæ lites, hinc præcocia conſilia, hinc temerè ſuſcepta negotia, hinc denique haud rarò hæreſes & peccata, quòd perperàm & inconſultè judicetur. Quare ea facultas, quæ ad rectè ſemper judicandum dirigit, cenſenda erit omnium præſtantiſſima.

6. Hujus equidem facultatis figuram geſſiſſe pectorale illud Sacerdotis, quod *Exodi* 28. deſcribitur non ſolùm auro & gemmis, ſed duabus illuſtribus notis, Urim & Thumim, diſtinctum & ornatum, docet Laurent. Beyerlinck in ſuo *Theatro vitæ humanæ*; Urim nempè ſignificat ſplendorem mentis, lucemque ad cogitandum & perſpiciendum; Thumim verò ordinis perfectionem ad integrè incorruptèque judicandum: unde & pectorale ipſum à Moyſe *Judicii* λογεῖον appellatur, tamquam nullis hominum ſophiſmatis inquinata, ſed perfecta & omnibus numeris abſoluta conſiderandi judicandique logica, λογεῖον illud eſſet.

7. Intelligitur tertiò, quàm ardua ſit & difficilis eadem ſcientia. Nihil enim ho-

homini difficilius, quàm ſuam cognitionem cognoſcere, & proprias imperfectiones deprehendere: & ratio multiplex eſt, nam primò raro atque ægrè cognoſcimus ea, quæ minimè imaginamur: nullæ autem in cerebro depingi poſſunt imagines, picturæque efformari humanarum cognitionum. Secundò conſideratio aliorum plerumque impedit ſenſum ſui;& quò magis cupiunt homines alienos ſcrutari defectus, eò negligunt proprios: non ſecùs ac Lamiæ ab antiquis confictæ, quæ cùm foris eſſent oculatiſſimæ, domi prorſus cæcutiebant. Tertiò tanta eſt πιλαυτὶα & amor quem erga noſmetipſos naturaliter gerimus, ut hanc internorum vitiorum contemplationem, tamquam naturæ infeſtam averſemur,& divertere ſatagamus: quemadmodum deformes moleſtè ferunt in ſpeculo ſeſe conſpicere, ipſique Cameli limpidam aquam, nè propriæ deformitatis ſpeciem referat, bibendo conturbant.

8. Hancobrem, ut teſtatur Plutarchus, philoſophi Platonici aureis characteribus in foribus templi Delphici ab

Amphicthyonibus inſcriptum, quaſi Deo dignum, &, teſte Juvenali, *de cœlo deſcenſum*, repoſuerunt illud: *Noſce te ipſum*: quod ad noſtrum propoſitum exponens Tullius *1. Tuſcul. Præceptum*, inquit, *Apollinis monet, ut ſe quiſque noſcat. Cùm igitur noſce te, dicit, hoc dicit, Noſce animum tuum*, eòdemque recidit celebre aliud nec minùs fructuoſum inter antiquos dicterium: *Tecum habita*. Quam utique ſcientiam propriæ cognitionis, ſeu reflexivam advertentiam ſuper actus & vitia noſtræ mentis, in qua Logica ſita eſt, velut in æquali tùm arduitatis, tùm utilitatis pondere conſtitutam, miris etiam laudibus exornat ex noſtris Bernardus *in princ. Meditationum*, & alibi; necnon Auguſtinus *lib.4. de Trinit. in proëm.* ubi: *Magni quidem faciunt homines ſcientiam rerum cœli & terræ, ſcientiam Aſtrologiæ, Coſmographiæ, noſſe motus cœlorum, curſus planetarum, eorumque proprietates & influentias. Cognoſcere tamen ſeipſum, altior ſcientia eſt, & utilior omnibus illis.*

CAP.

CAP. II.

An aliqua Logica ab ipſo orbe condito ad nos profluxerit.

9. QUæ in præcedentibus dicta ſunt, Logicæ originem, & inventionis finem, ad quem primi Authores reſpicere potuerunt, abundè manifeſtant. Quis tamen certus ejus inventor fuerit, ſive qui primus humanæ fallibilitatis cauſas exploraverit, & regulas prædictas, ex quibus conflatur corpus logicæ, præſcripſerit; inter ejuſdem facultatis profeſſores haud certò convenit. Ac primò quidem aliqui nobiliorem, quàm par eſt, nativitatem ipſi logicæ tribuentes, putant eas regulas fuiſſe à Deo immediatè concinnatas, & Protoparenti noſtro in Paradiſo infuſas. Secundò alii Adamum ipſum logices inventorem faciunt: quam filiis communicavit, ac ſucceſsivè poſteris, donec ab Hebræis (à quibus & philoſophiam, & reliquas diſciplinas originem duxiſſe, tradit Euſebius

in 11. *de præparat. Evang.*) ad Chaldæos, à Chaldæis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, & ab his ad Latium traducta, ad nos uſque perveniret.

Prima Propoſitio. Veriſimile non eſt, logicam à Deo Adamum accepiſſe.

10. Probatur retorctione contrariæ rationis. Eatenus enim Adam logicam à Deo accepiſſe ſuſtinent adverſarii, quatenus certò exiſtimant, accepiſſe à Deo mentem ſcientiis omnibus imbutam & perfectam; hoc autem eſt incertum, immo oppoſitum convincens; ergo & illud ſpeciem nullam veri præfert. Minorem quoad primum firmant plurimæ rationes & congruentiæ videndæ apud Abulenſem *in cap. 13. Geneſ. q. 506. & 507.* ubi concludit: *Dicendū quòd in iſta dubitatione non poſſumus habere prorsùs certitudinem, eo quòd de ſcientia Adæ in Paradiſo Scriptura non diffinit: ratio enim nihil per neceſſitatem concludit: undè licitum eſt alitèr & alitèr opinari.* Quoad alterum verò, videlicet, quod ratione illâ convincatur oppoſitum, evidentèr probo: nam ſi Adam accepit mentem omniſciam & per-

& perfectam, fuit planè illi inutilis infuſio logicæ, quæ ſolùm datur ad perficiendum intellectum pro acquiſitione ſcientiarum.

11. Confirmatur. Logicæ munus eſt opem ferre menti poſt lapſum labefactatæ: nam eâdem labe quâ maculata fuit voluntas ut legitimi boni amorem amitteret, obſcuratus fuit intellectus ut errores non diſcerneret. Atqui Adam ſupponitur creatus in ſtatu innocentiæ; ergo impertinens ei fuiſſet omnino logica.

12. Confirmatur iterum. Ideo enim probant adverſarii primum hominem habuiſſe à Deo omnis ſcientiæ plenitudinem, quia ſicut creatus fuit perfectus in donis corporis, ut nihil ulteriùs creverit; ita perfectum decuit creari in donis animi, ut nullam deinceps ſcientiam antè ignoratam acquiſierit. Hoc autem clarè probat vanam in eo futuram fuiſſe logicam, quę datur ut inſtrumẽtum aliis ſcientiis capeſſendis neceſſarium. Atque ut omni ex parte evaſio prę cludatur, rogo authores nobis contrarios: Vel mentẽ Adami oportuit eſſe perfectam, vel non: ſi primum, ergo logica fuiſſet illi ſuperflua; ſi ſe-

ſecundum, ergo non debita, ſeu non oportuit illi infundi: nam quod potuit non eſſe perfectum, potuit carere aliquo pertinente ad perfectionem.

13. Confirmatur tertiò ad hominem contra doctum recentiorem P. Joannem Saguens, qui ut probaret in Adamo omnes ſcientias floruiſſe, & cum illis logicam; vim ineluctabilem eſſe conſentiit in illis paucis verbis Sacræ Scripturæ Eccleſiaſtes 7. *d.* 30. *Fecit Deus hominem rectum*: quæ intelligit de rectitudine non minùs mentis quàm corporis. *At*, ſubdit, *illa rectitudo importat intelligentiam ab omni deviatione, ſeu obliquitate erroris liberam*. Hæc ille unde ego rurſus inferam otioſam planè ac ſupervacaneam pro primo illo ſtatu fuiſſe futuram logicam, quam ipſe Author definit, *Congeriem ſcientificam legum ad humani ratiocinii rectitudinem obtinendam ſpectantium.*

14. Reſpondebit certè, rectitudinem illam non fuiſſe in Adæ mente præcisâ logicâ; quin potiùs logicæ ipſius unico beneficio. At contra eſt, quia ut intrinſecæ & naturales fuerunt in Adamo prærogativæ

tivæ corporis, ita & mentis. Quare admiſsâ ſemel paritate, non alienâ quidem logicæ artificialis normâ, ſed naturali rationis lumine, adeoque ex ſe rectam extitiſſe fatendum eſt.

15. Dices fortè: omnis ſcientia ſuam tum certitudinem tum evidentiam deſumit ex demonſtrationibus ſyllogiſticis; Igitur omni ſciẽtiâ denudatus fuit Adam, ſi artificiali caruit logicâ. Hæc inſtantia præproperè nos cogit examinare logicæ neceſſitatem; ideò ad *caput X.* te remittimus.

Secunda Propoſitio. Veriſimile eſt eundem Adamum aliquam logicam ex ſe ipſo excogitâſſe; improbabile, traduxiſſe.

16. Prior pars propoſitionis ſuadetur, nam poſtquam Adam excidit ab innocentia, & in naturalibus animi dotibus vulneratus fuit, paulatim ſentiit ſe in cognoſcendorum ſerie naturaliter deficere, & in judiciiis ferendis claudicare; quamobrem ut vir prudens erat & caput humani generis, veriſimillimum eſt de remediis ad vitia iſta curanda congruentioribus, ſive de regulis quibusdam, quas

cùm

cùm ipſe tùm ſui deinceps in ratiocinandi curſu ſervarent,cogitâſſe;atque adeo aliquam logicam, vel ad minùs logicæ rudimentum adinveniſſe, quod fuit propoſitum.

17. Suadetur pars altera propoſitionis primò, quia nullus penè antiquitatem ſcriptor ejus invẽtionis ſtudive logicalis, traductionisque ab Adamo ad poſteros mentionem facit; ſtultè ergo ac temerè opinabitur quispiam reverà traductam eſſe. Secundò quia priſci ore tantùm ſcientias edocere conſueverunt:quare incredibile eſt tàm rationalem, quàm aliam quamcumque diſciplinam, ad præſentia uſque tempora,nullam paſſas oblivionem,pervenire potuiſſe: uti advertit Auguſtinus Angubinus *lib.* 1. *de perenni philoſophia cap.* 1.

18. Objicies: Filii Seth cùm mundum igne & aquis conſumendum ex Adami prædictione didiciſſent; in duabus columnis,lapideâ unâ ne aquis liquefieret, alterâ lateritiâ quæ à flammis non diſſiparetur,artes omnes liberales expreſſerunt, ut tradit Joſephus *Libro* 1. *cap.* 3. *Antiqui-*

quitatum ; ergo ars logicalis, ſive à Deo infuſa, ſive ab Adamo inventa; potuit facilè per id medium ad nos transmitti.

19. Reſpõdetur longè incredibiliorem videri hanc Joſephi hiſtoriam, quàm logicæ traductionem ; id quod mecum ſentiunt graves Authores eandem cum apocryphis computantes. Quicquid tamen de hoc ſit, qui hiſtoriam refert, ſimul docet non logicalem quidem artem, ſed doctrinam rerum cæleſtium in columnis expreſſam fuiſſe. Quare duplex falſum aſſumptum continente argumento, incertum ſaltem atque improbabile, ni penitus falſum dicam, adhuc remanet, quòd logica aliqua à primo illo ævo ad ætatem noſtram deſcenderit.

CAP. III.

An Logica vulgaris Inventor fuerit Ariſtoteles.

20. Cùm verò logicalia ſcripta manibus tractemus, & veluti ab im-

immemorabili tempore, ut nos demum tædere cæperit, ſtridulum *Ergo* ſonet in ſcholis; inquirendum ſupereſt, cui Authori ſit, poſt priores Patres à nobis jam excluſos, iſta logica tribuenda. Quamplures poſt Averroëm *in proëmio phyſ.* primam vulgaris dialecticæ, ſeu veriùs (cùm nullam aliam poſſibilem exiſtiment) dialecticæ ſimpliciter inventionem Ariſtoteli aſcribunt: quam nec ipſe philoſophus laudem reticet 2. *Elench. cap. ult.* dicens: *De Rhetoricis erant multa, & antiqua dicta. De ſyllogiſmis autem omninò nihil habuimus priùs aliud quicquam, quod diceremus, quàm morâ perquirentes, multo tempore inſudaverimus. Si autem videtur ex conſiderationibus noſtris (ut ex iis quæ ſunt ex principio) hanc habere diſciplinam ſufficienter ſuper alia negotia, quæ ex traditione inducta ſunt, reliquum erit omnium veſtrum, vel eorum qui audierunt hoc opus, omiſſa quidem artis, veniâ dignari: inventa autem, multâ proſequi gratiâ.* His tamen non obſtantibus ſit

Prima Propoſitio. Pauciſſimæ aut ferè nulle dialecticæ vulgaris partes Ariſtoteli debentur.

21. Pro-

21. Probatur 1. Præcipua dialecticæ vulgaris præcepta præceſſerunt Ariſtotelis tempora; ergo ferè nulla ipſi debentur. Antecedens probo ad hominem contra Peripateticos, qui, paucis exceptis, docent abſque logicalibus præceptis fieri non poſſe perfectas definitiones, aut demonſtrationes: atqui uſus definitionis, ac demonſtrationis viguit perfectiſſimè multò ante Ariſtotelis ortum, putà in Archita Tarentino, cujus definitiones ipſemet Ariſtoteles *lib.* 8. *metaphyſ.* maximâ laude proſequitur, & aliis; Igitur multò ante Ariſtotelis ortum viguerunt præcepta logicæ.

22. Probatur 2. Singulas penè vulgaris dialecticæ partes conſtat eſſe aliorum Authorum lucubrationes; ergo penè nullæ remanebunt Ariſtoteli tribuendæ. Probo aſſumptum inductione, ductus graviſſimorum Doctorum, præſertim Laërtii 4. & 8. *lib*. & Plutarchi *in vitis decem Orat.* apertis teſtimoniis: nam, ut ipſi referunt, Plato artem demonſtrandi, modum definiendi, & argumenta per reſolutionem invenit; Item Socrates, ſi credamus

eidem Platoni, & Galeno *initio hiſtoriæ philoſophicæ*, maximus fuit in materia præſertim topica, logicæ perfector. Præterea Eubulides Mileſius plurimos dialecticæ modos reperit, Diodorus Cronus cornutum diſputationis genus, Zeno Cizicus Univerſalia, Cleanthes Axius modos ac syllogiſmorum figuras; tandemque, ut alios omittam, Clitomachus Turius, præter librum de Interpretatione, in quo eum Ariſtoteles imitatus eſt, excogitavit axiomata & categoremata, cum talibus aliis, ut verbis utar Laërtii *in Diodoro*.

23. Confirmatur, nam primò de demonſtratione, etſi non ita exactè, plura legimus docuiſſe Pſeuſippum Ariſtotelis condiſcipulum in ſuis definitionibus, & Crytonem quendam in libris quatuor *de cognoſcendo*. Deindè novimus quatuor primos tantùm Figurarum modos poſuiſſe Ariſtotelem, quos etiam à Cleãthe deſumpſerat, ut diximus: reliquos adjecit Eudemus, Theophraſtus, & Boëtius.

24. Confirmatur iterũ, quia de multis libris, qui in Ariſtotelis Organo continentur,

tur, rationabilitèr dubitatur, ſintnè vera ac genuina opera Stagiritæ, an verò ab aliis per errorem illi imputata, vel ex ſe ipſo per fraudem à veteribus tranſcripta. Atque ut alios pro modo taceam, de omnibus ex profeſſo alibi locuturus, fortiſſimæ ambiguitati ſubeſt liber *de Interpretatione*, libri *Analitici*, *Topici*, & *Sophiſtici*, utpote cum Laërtiano Catalogo nòn concordantes: quæcumque item ad demonſtrationem pertinent, tranſumpta ſunt ex Pſeuſippi ſupra memorati libellis, quos, emortuo Autore, emit Ariſtoteles tribus talentis Atticis.

25. Inſuper opus Categoriarum falsò attribuitur Ariſtoteli, cùm non ab ipſo, ſed ab Archita Tarentino noſtri Pythagoræ diſcipulo ſcriptum aſſerat Jamblicus philoſophus Porphyrii diſcipulus, prout refert Boëtius *ſuper prædicamenta*; ideòque, teſte Sylla, ſine titulo & nomine ab Ariſtotele editus fuit, ut vel occuleret furtum, vel honeſtaret. Illud nihilominùs produnt ipſi Peripatetici, qui ùt magiſtrum ſuum à cõtradictione aliquando excuſent: putà cùm Ariſtoteles in lo-

gica fecit *Locum* ſpeciem quantitatis continuæ à tribus vulgatis diſtinctam, non fecit autem in metaphiſica; reſpondent in logica locutum in aliorum ſententia; & ſic in aliis ſexcentis caſibus. Miſſa demùm facio quæ & oretenùs, & ſcripto ex præceptoribus Socrate ac Platone deſumpſit. Certè hic in Sophiſta, Cratylo, & alibi nō pauca ſemina Ariſtotelica meſſis ſpargit, ut admittere videtur Paulus Areſius Peripateticus *diſp.* 1. *de generat.* Ex quibus omnibus patet uberrimè propoſitum.

Secunda Propoſitio. Si proprium Logices inventorem quærimus, fuit Zeno; ſi Collectorem, Ariſtoteles.

26. Prima pars expreſsè traditur à Laërtio 4. & 8. *libro* aliàs citatis, necnon Polydoro Virgilio *de rerum Inventoribus cap.* 16. & aliis multis concorditèr docentibus Dialecticam à Zenone Eleate initium ſumpſiſſe, poſt ipſum verò plures amplificatores fuiſſe ſubſecutos, qui ſinguli ſingulas Logicæ animadverſiones molientes, illam primis annis rudem & parvulam, temporis tractu ad perfectionem & complementum reduxerunt. Et

qui-

quidem Socratem, cui multùm Dialecticam debere diximus *num.22.* edoctum fuiſſe à Zenone artem differendi & ratiocinandi texendique ſyllogiſmos, quæ in Logica potiſſima eſt, teſtatur Plato *in Parmenide.*

27. Secunda pars ſequitur ex præcedentibus: cùm enim ſingula Logicæ præcepta ab aliis inventa fuerint, ut jam probavimus, ampliùs infra probaturi; id tantùm munus Ariſtoteli relictum fuit, ut alienos labores compilaret, & in unum colligeret. Duo ſolùm præcepta (dignane veritatis amatore an indigna, neſcio) ne ſcilicet honorifico Authoris nomine penitùs privaretur, reperimus tradita proprio marte ab Ariſtotele; eaque continentur *lib.2. Topic.* & exponuntur à Petro Gaſſendo. Alterum eſt, ut ſemper ambiguè inter diſputandum loquamur, obducentes veritati tenebras, nequando fortè illuceſcat. Alterum, ut potiùs quicquid animo occurrerit, effutiamus, quàm ut cedamus adverſario.

28. Objicies: Ariſtoteles ipſe, ut jam innuimus *num. 20.* ſub finem *libri Elen-*

chorum poſtulat ſibi gratias multas agi, quòd ſyllogiſticam artem, ad quam ſingulæ dialecticæ partes collimant, reſpondendique ſaltem artificium, de quo nihil antiquiores philoſophi egiſſent, excogitârit: ſimilitèr de Elenchis nihil omninò à veteribus fuiſſe ſcriptum, ſecuriſſimè aſſerit; ſæpèque etiam inculcat, Prædeceſſores ſuos, alioquin impensè doctos, defectu logicæ in enormes errores lapſos. Quæ omnia falſa eſſent, ſi alius quiſpiam quàm Ariſtoteles fuiſſet primus inventor Logicæ.

29. Reſpondetur falſa utique hæc omnia videri, & (pace tanti viri dixerim) vanitatis levitatiſque plena. Nam quod primò attinet ad ſyllogiſticam artem, ut omittam Socratem ex Zenone in illa excelluiſſe, juxta notata *num.* 26. ipſemet Ariſtoteles in iiſdem Elenchis de veteribus dicens: *Non enim artem, ſed quæ ab arte ſunt, dantes, arbitrati ſunt loqui eruditè, &c.* ſatis indicat eos, quamvis artem non tradiderint, arte tamen ipſa minimè caruiſſe. Deindè formæ argumentandi, quæ eſt idem ac forma texendi ſyllogiſmos,

in-

inventorem fuiſſe Ariſtotelem, negat expreſsè Themiſtius, relatus à Philopono *in Priorum*. Secundò artem reſpondendi tradiderat ſufficientèr Xenocrates, ubi plures libros de artificio in diſputando conſcripſerat: quare non oportebat primum illius authorem Ariſtoteles ſeſe jactare. Tertiò de arte Elenchorum copioſum librum compoſuerat Protagoras, teſte Laërtio locis citatis; & Quartum denique continet meram Ariſtotelis jactantiam, & ſolitam in antiquos calumniam, ſimilem quodammodo illi: *Nicomach.* 10. *cap. ult.* ubi ait, *ſcribendum ſibi eſſe de Republica, quòd antiquiores id negotium, & de Legislatione non attigerint*; cùm tamen illuſtres & de Republica, & de Legibus ante Ariſtotelem editos habeamus Platonis libros.

30 Inferre jam ergo liceat, exiguas vel fortè nullas deberi hac ex parte Ariſtoteli grates; nocuiſſeque mundo magis quam profuiſſe, cùm ex latè à me alibi ſcribendis, ambitione tactus, antiqua monumenta ſuppreſſerit, & quæ ſuffuratus fuerat, atro ſtylo confuderit. Præſertim

verò quæ ad Analitica poſteriora ſpectant, adeò indigeſta, inverſa, & obſcura videntur, ut confundant Lectores potiùs, quàm eorum juvent ingenia: id quod fateri non detrectavit Themiſtius, egregius cæteroqui peripateticus, cùm de iiſdem Analiticis loquens, hæc habet: *Cùm pleraque omnia Ariſtotelis ſcripta, quaſi de composito caligine quadam offuſa oppletaque habeantur; illud potiſſimùm hoc opere intelligitur, cùm ob ipſum genus elocutionis quod ſi alicubi, maximè preſſum hic præciſumque eſt; tùm ob capita, quæ nullo ordine videntur diſpoſita.* Quapropter hoc uno ſenſu poteſt Logica attribui Peripateticorum Principi, quòd cùm naturâ ſuâ obſcuriſſima ſit, ut vel ipſum nomen puriſſimo anagrammate *caliginem* reddat; illum certè decet Authorem ejuſdem appellari, qui tenebras ei offudit denſiores.

C A P. IV.

De Logicæ diviſione.

31. QUicumque autem ſit verus logicæ Author, dividitur ea primùm

mùm ab Ariſtotele, vel (quod parùm hic noſtra intereſt) ab alio ſub nomine Ariſtotelis, in Analiticam, Topicam, & Sophiſticam; quarum prima agere dicitur de ſyllogiſmo demonſtrativo, ſecunda de probabili, tertia de fallaci. Verùm hujuſmodi diviſionem haud æquo animo probaverim, quia Logica ſecundùm ſe nec eſt demonſtrativa, nec probabilis, nec fallax; ſed ſolùm id contingit ratione materiæ, bonique vel mali usûs ſyllogizantis.

32. Vulgatiſſima eſt etiam diviſio Logicæ in Docentem, & Utentem, ſive in Logicam à rebus avulſam, & in Logicam rebus concretam. Aſt non conveniunt Authores in ſuppoſitione horum terminorum. Præſertim verò quid Dialecticis ſonet nomen Logicæ Utentis, nondum ſatis eſt exploratum: ut vel ex ipſa explicantium varietate inferre fortaſsè liceat, ineptam quoque atque impropriam hujuſmodi diviſionem eſſe. Quod ut manifeſtum fiat, variæ explicationes referendæ, & refellendæ ſunt.

33. Primùm namque dixerunt aliqui Lo-

Logicæ Utentis nomine intelligi Dialecticam, nempe eam logicæ partem, quæ tantùm probabilitèr diſputat; eiſque patrocinatur S.Thomas *in 4. metaph lect. 4.* Verumtamen id gratìs videtur dictum: nam quicquid præſtat Logica in ſyllogiſmo probabili, præſtat eodem modo in demonſtrativo, ad utrumque enim ſolùm directivè concurrit; ergo non magis in uno quàm in alio debet gaudere nomine Logicæ Utentis. De mente autem Angelici Præceptoris conſulatur hic Joannes à S.Thoma.

34. Secundò alii voluere Logicam Utentem eſſe ſcientias omnes quæ utuntur præceptis Logicæ. Ita Hurtadus, Vaſquez, Oviedo. Sed hoc nullatenùs ſubſiſtere poteſt: quia ex regulis bonæ diviſionis, Diviſum debet poſſe prędicari in recto de ſingulis membris dividentibus, ſcilicèt quando diviſum eſt totum poteſtativum: atqui logica non poteſt in recto prædicari de aliis ſcientiis, cùm Phiſica v. g. non ſit Logica, Mathematica non ſit Logica, & ſic de cæteris; ergo nomine Logicæ Utentis nequeunt intelligi ſcientiæ, quæ lo-

logicalibus præceptis utuntur.

35. Tertiò alii ut ſalvarent prædicationem in recto, docuere Logicam utentem eſſe Logicam ipſam, quatenùs utitur ſuis præceptis, in propria materia, definiens v. g. Terminos, dividens Propoſitionem, &c. ita Arriaga *diſp. 2. ſect. 5.* Contrà tamen eſt primò, quia non minùs in aliis materiis utimur præceptis Logicæ, quàm in ipſa materia logicali; ergo attentâ vi vocis, gratìs dicitur *Utens* in ſola logicali materia. Secundò juxta hanc excogitatam acceptionem, ceſſaret omninò queſtio, nùm diſtinguatur à Logica Docente, cùm pro ipſa docente expreſsè ſupponeret.

36. Quartò tandem Recentiores quidam cenſuerunt participium *Utens* veluti paſsivè eſſe intelligendum, pro Logica ſcilicet Uſitata, ſeu pro præceptis ipſis exercitis atque uſui applicatis. Quo quidem ſenſu non *ea qua utitur*, ſed potiùs *ea quâ utimur* in quacumque materia, Logica Vtens appellatur. Hoc etiam excogitatum omninò diſplicet, ſiquidem in vocum acceptionibus non eſt à communi

pro

pro libitu recedendum, juxta illud Ariſtotelis *1. Top. Loquendum eſt cum multis, ſentiendum cum paucis*. Illa autem expoſitio, ultra quam quòd Grammaticæ legibus adverſatur, videtur prorſus voluntaria, ac præter omnem dialecticorum intelligentiam: etenim eâ ſemel admiſsâ, ridicula maneret cōtroverſia, alioqui celebris, de diſtinctione logicæ docentis ab utẽ te: perindè namque foret a c quærere, nùm idem diſtinguatur à ſe ipſo, cùm ſaltem in recto pro eodem evidenter ſupponerent, quemadmodum pro eodem ſupponit inſtrumentum non applicatum, atque inſtrumentum applicatum.

37. Sic itaque reprobatis aliorum placitis, ſi probabilem aliquem vellemus ſenſum aperire, præſtandum id eſſet, præmonendo, logicam docentem, & utentem dupliciter capi poſſe, nempe actualitèr, & habitualitèr: Logica docens actualis eſt traditio præceptorum; Utens actualis eſt eorundem uſus & applicatio: quod eſt in confeſſo apud omnes. Inde autem neceſſariâ conſecutione deducetur, logicam docentem habitualem eſſe facultatem ac

prom-

promptitudinem tradendi præcepta;utẽtem habitualem eſſe facultatem & promptitudinem utendi iisdem. Quæ omnia ſpectant ad quæſtionem de voce.

Hinc tamen ſtatim oritur realis controverſia, an facultas tradendi præcepta ſit realitèr diſtincta à facultate eadem applicandi: quæ ùt, ſublatis ambagibus, clariori deciſione potiatur, ſequentibus proponitur terminis.

C A P. V.

An præter habitum Logicæ præceptivum, detur alius executivus.

Sit *unica Propoſitio*. Ut reducantur ad praxim logicalia præcepta, non datur nec requiritur peculiaris habitus executivus, diſtinctus à præceptivo, & ab aliis particularibus habitibus cæterarum ſciẽtiarum; proindèque logica docens & utens unus eſt habitus.

38. Eſt contra Scotiſtas,& P. Lallemman-

mandet *diſp.3.par.2.nu.9.* ad cujus probationem, Notandum eſt habitum ſolùm poni ad vincendam difficultatem, quam patitur potentia circa aliquod faciendum: quamobrem ex frequentatis actibus videndi, audiendi, ac ſimilibus, ad quos eliciendos nulla ſupponitur in potentia difficultas, nullus omninò gignitur habitus; *non enim* (inquit Ariſtoteles *2. Etich. cap.1.*) *ex eo quòd ſæpe vel vidimus vel audivimus, ſenſum videndi vel audiendi accepimus.*

39. Hoc poſito, ſic argumentor: in uſu logicalium præceptorum nulla reperitur ſpecialis difficultas, quæ per habitum Logicæ docentis vinci non valeat; ergo non datur peculiaris habitus executivus realiter diſtinctus à præceptivo, & ab aliis particularibus habitibus aliarum ſcientiarum. Probatur antecedens: ſemel cognitâ naturâ v.g. ſyllogiſmi, (dummodò ſuppetat materia peculiaris in qua efformandus eſt) nulla eſt aſſignabilis difficultas remanens, ad ſyllogiſmum actù conficiendum: ſed per habitum logicæ præceptivum cognoſcitur natura ſyllogiſmi; ergo.

40. Con-

40. Confirmatur. Uſus & exequutio præceptorum eſt actus ſaltem ſecundarius ipſius habitus præceptivi ſeu logicæ docentis; ergo per hunc ſolum habitum omnis difficultas, quæ in uſu reperiri poteſt, ſatis ſuperque ſuperatur. Conſequentia liquet, cùm omnis habitus facilitet potentiam ad actus ſuos. Antecedens probatur, nam logica docens non modò intēdit præceptorum traditionem, verùm etiam eorundem uſum & executionem: neque enim ad alium finem præcepta tradit, quàm ut ad uſum adhibeantur. Sed jam audiamus Adverſarios: cùm enim *non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate*, incumbit Adverſariis onus oſtendendi rationem, quâ multiplicandus ſit novus habitus exequens, à præcipiente atque ab aliis habitibus condiſtinctus.

Ariſtot. 1. phy. tex. 50. & de partib. ani. mal. lib. 3. cap. 4.

41. Arguunt itaque primò ab experientia: Plurimos novimus qui logicæ ſtuduerunt, & nihilominùs neſciunt expeditè argumenta conficere; ergo præter habitum præceptivum, eſt eis neceſſarius executivus, cujus adminiculo logicales

re-

regulas ad praxim reducant.

Tranſmiſſo antecedente , negamus conſequentiam : Impedimentum enim exercendi logicalia præcepta , quod plurimi experiuntur, non ex defectu habitus executivi , ſed ex alterutro ex his capitibus proficiſci poteſt : vel ſcilicet quia logicalia præcepta nondum perfectè callent ; vel quoniam materiæ particularis de qua differunt, ſunt ignari.

42. Arguunt 2.à paritate pictoris,cytharedi, aliorumque artificum , qui non ſtatim ac ſuæ artis præcepta callent, illa valent exercitio demandare.

Reſpondetur difficultatem quam iſti patiũtur in uſu,inde oriri,quòd præcepta & executio ad diverſam potentiam pertineant: illa videlicet ad mentem,hæc ad manum : Item ex eo quòd materia quam tractant , interdum reſiſtat , ut in arte fabrili perſpicuum eſt; in logica autem tàm præcepta , quàm executio ſpectant ad eandem potentiam intellectivam, quâ ſemèl inſtructâ per habitum præceptivum, nulla ſupereſt in uſu difficultas . Præterea materia proxima logicæ ſunt mentis

ope-

operationes, pro libitu tractabiles.

43. Arguunt 3. In moralibus præter habitum conſiliantem, & judicãtem quid agendum ſit; datur alius habitus exequens, ut docet S. Thomas 2.2.*q.*57.*ar.*1. ergo etiam in ſpeculabilibus datur habitus exequens diſtinctus à præcipiente.

Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas eſt in hoc, quia in moralibus non ſatis eſt conſulere aùt judicare quod aliquod faciendum ſit, cùm plerumque ob reluctantiam ſensûs, & ob voluntatis indifferentiam, ſentiatur in exercitio ſpecialis difficultas: unde Apoſtolus *ad Rom. 7. verſ. 23. Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; & ideò requiritur novus habitus prudentiæ, per quem difficultas vincatur, & voluntatis indifferentia determinetur. Secùs eſt in logica, ubi in cognoſcendis præcisè regulis, & in comparanda notitia aliarum materierum tota conſiſtit difficultas.

44. Arguunt quartò. Habitus diſtinguntur per actus; ſed traditio præceptorum, & eorundem uſus ſunt actus inter ſe

realiter diſtincti; ergo etiam habitus.

Reſpondetur diſtinguendo majorem: habitus diſtinguntur per actus non ſubordinatos, conceditur; per actus ſubordinatos, negatur major. Ad minorem dicimus, uſum præceptorum eſſe actum ſubordinatum traditioni; proindeque non petunt diſtinctum habitum. Totum hoc confirmatur egregiâ doctrinâ S. Thomæ 2.2.*qu*.29.*ar*.4. Quoties unus effectus ex alio ſequitur, non requiritur diſtincta virtus ad illos producendos, prout conſtat in igne, qui eâdem virtute calefacit & liquefacit, necnon in habitu charitatis, ex quo procedit dilectio Dei & proximi. Atqui uſus præceptorum ſequitur ex eorum traditione, cùm hęc habeat pro fine uſum, ùt dictum eſt *nu*.40. ergo non eſt ponendus duplex habitus ad utrumque actum producendum.

45. Dices; Dantur plures actus invicèm ſubordinati, v.g. actus temperantiæ qui ſubordinatur actui prudentiæ, & nihilominùs diverſos poſtulant habitus; ergo nulla reſponſio, & doctrina. Reſpondetur inter hos actus non dari perfe-

ctam

ctam ſubordinationem, quia unus ex alio non ſequitur. In actu enim temperantiæ eſt ſpecialis difficultas, quam non eſſe in uſu logicæ, ex dictis patet.

46. Arguunt quintò: Ex uſu diuturno argumentandi, experimur in nobis majorem facilitatem ad actus ſimiles; ergo generatur aliquis habitus; ſed non generatur præceptivus, quippe qui jam præſupponitur; ergo executivus ab eo diſtinctus.

Omiſſo antecedente, negatur prima conſequentia: nam ubi potentia nullam difficultatem habet ad actus eliciendos, nullus ex horum repetitione reſultat habitus, ut à principio notavimus *num*. 38. Illa autem facilitas, quam in nobis experimur ex diuturno argumentandi exercitio, oritur vel ex eo quòd idem habitus præceptivus magis intendatur; vel quia memoria felicior & promptior fit ad materiam ſumminiſtrandam.

47. Inſtabis. Habitus nequit intendi per actus extraneos ac diverſæ rationis; ſed uſus præceptorum eſt actus extraneus diverſæque rationis ab habitu præceptivo, ſiquidem actus illius eſt ſola traditio;

ergo nec poteſt illum gignere, nec augere.

Solutio patet ex *num.* 40. cùm enim probatum ſit uſum præceptorum eſſe actum proprium ſaltèm ſecundariò ipſius habitus præceptivi; conſequens eſt non eſſe actum extraneum, nec diverſæ rationis ab illo.

C A P. VI.

Nùm Logica ſit una ſimplex, ut ajunt, qualitas.

48. Statutâ identitate Logicæ Docentis & Utentis, dubium aliud ſuccedit hic commodiùs decidendum: An videlicèt tota ipſa Logica Docens, vel, cùm idem jam ſint, tota ipſa Logica Utens (quod & de aliis ſcientiis inquirere licebit) ſit unus habitus unitate ſimplicitatis, an verò unitate compoſitionis & ordinis.

Unica Propoſitio. Plures quidem partiales habitus Logicam, ſive eam Docentem ſive Vtentem dixeris, conficiunt.

Re-

Refragantur huic propoſitioni quicumque in phyſicis cenſuerunt, non per additionem gradûs ad gradum, ſed per majorem ejuſdem radicationem qualitates intendi: *Uno enim inconvenienti dato, plurima contingunt*, *Ariſt.* 1.*phyſ.tex.* 10. Quàmquam attendendum eſſet ejuſdem conſilium *primo Topic. cap.* 8. ubi, *Philoſophi*, inquit, *propter veritatem debent etiam ſibi contradicere.*

49. Suadetur verò Poſitio ratione ſatis tritâ, ſed nondum fortè ſatis evacuatâ. Si Logica eſſet una ſimplex, ut ajunt, qualitas, ſequeretur poſſe totam atque integram acquiri, ſemel cognitâ unâ concluſione; & è contra, unâ oblitâ, totam perire. Hoc autem eſt abſurdum; ergo & primum. Minor patet, nam ſic una lectio faceret Doctorem, & una ſpeciei obliteratio Inſcium; unde ſuperfluum foret multis concluſionibus animum intendere, & tot in ſtudiis labores exantlare. Sequela eſt evidens, nam ſemel cognitâ unâ concluſione, ſimplex illa qualitas acquiritur.

50. Reſpondent adverſarii, per actus

aliarum concluſionum non generari quidem aliam novam qualitatem, ſed perfici & extendi qualitatem jam genitam. Ego verò non facilè capio, quid ſit iſta perfectio qualitatis, & quomodo pellis inſtar extendatur: vel enim perfectio iſta atque extenſio eſt aliquid diſtinctum realiter à qualitate; & ſic oportebit ſuper ſimplicem qualitatem admittere ingèntem cumulum diſtinctarum entitatum, quæ cum ſint pariter de genere qualitatis, hoc ipſo habitus coaleſcens ex illis, non erit qualitas ſimplex, ſed aggregatum plurium. Si verò eſt quid indiſtinctum; ſequitur quod ante dicebamus, poſſe Diſcipulum per primum actum alicujus ſcientiæ acquirere qualitatem facilitantem ad omnes alios.

51. Probatur 2. poſitivè eadem Propoſitio. Habitus acquiſitus eſt veſtigium quoddam relictum ab actibus; igitur pro ſpecifica actuum diverſitate, erunt diverſi ſpecie habitus. Confirmatur: tot ſunt habitus, quot ſunt difficultates ſuperandæ; ſed in Logica ſunt plures ac diverſæ difficultates ſuperandæ; ergo plures ac diverſi ha-

habitus. Probatur minor, nam qui ſcit naturam definitionis v. g. non hoc ipſo ſcit naturam ſyllogiſmi; neque actus dividendi cauſare poteſt habitum facilitantem ad argumentandum. Confirmatur magis, quia habitus facilitare ſolùm poteſt potentiam ad actus ſimiles eis per quos genitus fuit: quare habitus genitus ex actibus definiendi, ad definiendum dumtaxat facilitare poteſt.

52. Obiicies primò. Sicut habitus, ita & potentia ſpecificatur ab actibus; ſed diverſitas actuum non diverſificat potentiam; ergo neque habitum. Minor eſt certa, quia eadem viſiva potentia plura intuetur objecta. Reſpondetur negando paritatem, quia habitus fit ex actibus, non item potentia.

53. Objicies 2. Per unum habitum divinæ fidei credimus omnia revelata; ergo per unum habitum humanæ ſcientiæ poſſumus ſcire omnia ſcibilia.

Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas eſt duplex: prima, quia fides eſt habitus infuſus, ſcientia eſt habitus acquiſitus; inter utrorumque autem con-

ditionem multum intereſt; nàm prior ab actibus non dependet, alius ſequitur omnino naturam actuum. Altera diſparitas eſt, quia fides innititur uno medio ad omnes & quoſcumque articulos credendos, nempe authoritate Dei revelantis: ſcientia verò totalis ducitur per diſparatiſſima media.

54. Objicies 3. Si Logica eſſent plures habitus, ſequeretur fore plures Logicas, quod abſurdum. Stramineum certè argumentum, plurimis obnoxium inſtantiis: ſicut enim ex multis membris humanis non fiunt multa corpora, & ex innumeris Civibus non conficiuntur innumeræ Reſpublicæ; ita ex pluribus partialibus & inter ſe ordinatis habitibus non fiunt plures Logicæ. Eſt ergo unus habitus unitate ordinis, non unus unitate ſimplicitatis.

CAP.

CAP. VII.

Utrùm Logica ſit Scientia, vel Ars.

55. NOtandum primò Scientiæ nomen varias habere uſurpationes alibi expendendas: Preſsè ſumpta *eſt cognitio certa & evidens rei per cauſam*; deſumiturque hæc definitio ex Ariſtotele 1.*Poſter. cap.*2. Artem verò ex eodem definiunt *eſſe habitum cum recta ratione factivum*, complectendo effectionem rerum tàm externarum quàm internarum, cum hoc diſcrimine, quòd ſi res ſint intra intellectum factibiles, vocatur *Ars liberalis*, fortaſsè quia mentem liberant ab actionibus vilioribus, vel quòd ad animam ſpecialitèr pertineant, quæ ſecundùm ſe à corporis dominatu libera eſt, juxta illud Senecæ *epiſt.* 65. *Major ſum & ad majora natus, quàm ut mancipium ſim corporis mei.* Si verò res ſint extra intellectum, ac veluti ad ſervilem hominis partem, nempe corpus, attinentes; *Servilis* ſeu *Mechanica nuncupatur*.

56. Porrò liberales Artes ſunt Grammatica, Rhectorica, Dialectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia, & ſimiles. Pro Mechanicis habentur Agricultura, Venatoria, Nautica, Chirurgia, Textoria, & Fabrilis, quæ utræque hoc diſtyco continentur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra.
Rus, Nemus, Arma, Ratrix, Vulnera, Lana, Faber.

57. Hinc hallucinantur quicumque freti authoritate S. Thomæ *p. 2. q. 4. art. 1.* Prudentiam ab Arte in hoc differre exiſtimant, quòd ea verſetur circa opera interna, hæc circa externa; cùm deberent diſtinguere inter artem liberalem, & mechanicam. Aliud ergo erit diſcrimen, in eo conſiſtens quòd Prudentia moderetur actus internos ſecundùm regulas honeſtatis, tendatque ad opus ſub finem benè vivendi obtinendique felicitatem; à quo Ars præſcindit.

58. Notandum 2. Logicam dupliciter poſſe conſiderari: primò directè, & ita non eſt aliud quàm collectio regularum; ſe-

ſecundò reflexè, ſicque eſt cognitio veluti ſignata ſupra regulas ipſas: juxta quam inſpectionem appellare eam poſſumus *Logicam Formalem*, ad differentiam illius, quæ cum ſit hujus objectum, *Logica Objectiva*, meritò dici poteſt. Juxta hanc diſtinctionem, diverſimodè eſt quæſtio reſolvenda.

Prima Propoſitio. Logica objectiva ſive directè conſiderata, non eſt Scientia, ſed Ars.

59. Prima pars ſuadetur: quia cognitio ſcientifica non habet ponere, ſed præſupponere ſuum objectum; at Logica objectiva ponit & non ſupponit ſuum objectum; igitur non eſt ſcientia. Major patet, nam *ſcire*, ut *ſcire* formaliter non eſt *efficere*, immò cum ſit inquiſitio cauſarum & principiorum objecti, videtur ſupponere ipſum ſimpliciter. Minor probatur, quia Logica objectiva eſt collectio regularum; regulæ autem habent de ſuo munere ponere objectum, ad quod ordinantur.

60. Ex eadem doctrina conſtat altera pars Propoſitionis: Ars enim eſt habitus rectâ cum ratione factivus; ſed Logica

dire-

directè conſiderata, rectâ ratione, hoc eſt infallibilibus certiſque regulis innixa, aliquid efficit, videlicet rectam intellectus operationem; ergo eſt Ars.

61. Dices: Illa facultas, quæ nullum poſt ſe relinquit opus, non eſt ars. Logica autem nullum poſt ſe relinquit opus, cùm opus illius ſint actus intellectus dirigendi, qui non permanent; igitur non-eſt ars: Reſpondetur cum diſtinctione: non eſt ars mechanica, concedimus; non eſt ars liberalis, negamus. De conceptu artis ut ſic non eſt *relinquere poſt ſe opus externum*; ſed ſolùm *efficere opus non tendens per ſe ad honeſtatem*: quo diſſidet à prudentia, ut nuper diximus *n. 50*.

Altera Propoſitio. Logica formalis, ſeu reflexè conſiderata, non eſt Ars, ſed Scientia.

62. Probatur prima pars: Ars intendit ponere objectum ſuum, ut ſatis ex dictis conſtat; ſed Logica ita conſiderata non ponit objectum ſuum; ergo non eſt ars. Minor patet, quia ejus objectum ſunt regulæ; hæ autem non ponuntur, ſed ſupponuntur, antequam ſuper illas mens reflectat.

63. Pro-

63. Probatur ſecunda pars: quia ſcientia eſt cognitio certa & evidens rei per cauſam; hujuſmodi eſt Logica formalis, ergo propriè Scientia dicenda eſt: Minor patet, nam Logica non nudè tradit regulas, ſed certò & evidenter demonſtrare nititur bonitatem earum: v. g. *Definitionem debere eſſe clariorem definito* probat ex eò quòd *omne explicativum oporteat eſſe clarius re explicatâ*; & quâcumque aliâ regulâ traditâ, ſtatim rationis robur adjungit.

64. Confirmatur. Si Logica ſaltem formalis ſuas regulas ſcientificè non probaret; ſequeretur poſſe de ipſarum infallibilitate dubitari. Hoc autem abſurdum videri debet unicuique exiſtimanti, ſi quid ſcientificum in aliis facultatibus eſt, à Logica eſſe derivatum: ſic enim facultas nulla, quæ Logicâ utitur in demonſtrandis ſuis concluſionibus, certa eſſet, cùm nemo det quod non habet.

65. Objicitur primùm. Si Logica eſſet ſcientia, nulla omninò daretur eis, quæ ſcientia non eſſet; hoc eſt abſurdum; ergo & illud. Sequela probatur, quia ideo per

nos

nos Logica eſt ſcientia, quatenus per cauſam probat regulas ſuas; nullam autem artem eſt reperire, quæ non poſſit ſimiliter ſuas regulas probare.

Reſpondetur negando ſequelam, ſiquidem aliæ artes non *per ſe* probant regulas ſicut Logica, ſed *per accidens* tantùm: nec enim pictor de ſuo munere habet, ut rationem reddat ſuæ picturæ; nec ſutor ſollicitus eſſe debet, qua ratione probet ita eſſe calceos efformandos; aut ferrarius faber inquirere, qua de cauſa calybs igne emolliatur, aquâ rigeſcat & temperetur, & ſic de aliis: quorum cauſam veluti impertinentem, & captu etiam difficilem, nulli artifices comprehendere curant, ſed ſat eſt ſi opera faciant conformiter ad regulas ſibi rectè præſcriptas. At verò Logica, cùm debeat aliis ſcientiis certitudinem ſuppeditare, ut communiter admittitur; de ſuo munere habet, ſuas regulas, eorumque infallibilitatem firmis rationibus oſtendere.

66. Inſtabis. Non poteſt Logica ſuas concluſiones legitimè demonſtrare, niſi id faciat mediantibus præceptis, quibus

do-

doceatur quando benè, & quando perperàm procedit illatio: hoc autem eſt impoſſibile, quia ſic ante Logicam alia Logica præcederet.

Solutio deſumenda eſt ex *cap.* 11. ubi ex profeſſo docemus, ſolo rationis lumine, nullis præviis regulis inſtructo, poſſe optimè confici ſcientificas demonſtrationes; quamobrem ut aliis ſcientiis Logica non eſt neceſſaria, ita nec ſibi ipſi. Præterea bonitas unius regulæ poteſt per aliam regulam commodè demonſtrari; ſicque non totam Logicam Logicam antecire neceſſe erit, ſed partem parti prælucere ſufficiet.

67. Objicitur ſecundò. Scientia eſt de univerſalibus, neceſſariis, atque incorruptibilibus, ut docet Ariſtoteles *1. Poſt. cap.* 13. & *1. metaph.* 13. ſed objectum Logicæ eſt ſingulare, & contingens; ergo Logica non eſt ſcientia. Minor quoad primum patet, quia Logica agit de rebus factibilibus, res autem factibiles non poſſunt eſſe niſi ſingulares. Quoad alteram etiam conſtat, nam Logicæ objectum ſunt actus noſtræ mentis, qui poſſunt eſſe & non eſ-

ſe,

ſe, alioqui nec forent regulabiles, nam *de neceſſariis*(inquit idē Ariſtoteles 1.Rhet.) *& impoſſibilibus non conſultamus, ſed de contingentibus, & aliter ſe habere potentibus, quæ in noſtra poteſtate ſunt.*

Hoc argumentum primò peccat in aſſumpto majoris, de qua alio loco. Deindè in minori ejuſque probatione confunditur Logica objectiva cum formali. Fatemur itaque eam habere pro objecto res factibiles & contingentes, ſaltem quoad exiſtentiam, & propterea admittendo aſſumptum, ab albo ſcientiarum expungendam ducimus: ſecùs verò *Formalem*, cujus objectum ſunt regulæ, quæ nec fiunt, quādo mens ſuper illas reflectit, nec poſſunt eſſe & non eſſe, ſed infallibiles ſunt ac neceſſariæ.

68. Obiicitur tertiò. Nullum inſtrumentum eſt ejuſdem naturæ cum re, cujus eſt inſtrumentum; ſed Logica eſt inſtrumentum ſcientiarum; igitur non eſt ſcientia.

Negatur imprimis major: ſiquidem inſtrumentum poteſt in multis convenire cum eo cujus eſt inſtrumentum, v.g. Malleus

leus cum fræno in ratione *ferri*, immò etiam in ratione ſpecifica *mallei* non repugnat cum alio malleo per ipſum fabricando convenire. Secundò diſtinguitur minor ſimul & conſequens: & conceduntur de Logica objectiva, negantur de formali.

69. Objicitur quartò. In logica dantur multi actus fidei humanæ, multique opinativi; ergo partim eſt Fides, partim opinio. Quicquid ſit de antecedente, negamus conſequentiam: etenim conſuetudo invaluit, ut à nobiliori & potiori parte denominatio deſumatur; alioqui nulla facultas diceretur Scientia, cùm tam Phyſica, quàm metaphyſica, immo & ipſa Mathematica ſyllogiſmis probabilibus non careant.

70. Objicitur quintò. Repugnat differentias oppoſitas identificari in unica ſpecie; ſed Scientia & Ars ſunt differentiæ oppoſitæ, contrahentes habitum ut ſic; ergo repugnat unum eundemque habitum logicalem eſſe ſimul ſcientiam & artem.

Reſponderi poteſt primò negando minorem: nam ſcientia & ars non videntur

denominationes ità oppoſitæ, ut ſint mutuò incompatibiles: unde Ariſtoteles pluribus in locis illas confundit,& uni eidem facultati ſæpius attribuit: præcipuè verò 1. *Poſt. cap.* 1. & 1. *Rhet. ad Theodectem*, ſcientias Mathematicas appellat artes, quas tamen *lib.* 13. *Metaph. cap. ult.* & 8. *Topic. cap.* 2. appellaverat ſcientias. Quicquid tamen ſit de hoc, Reſpondetur ſecundò admiſsâ majore, & omiſsâ minore, diſtinquendo conſequens: repugnat eſſe ſimul ſcientiam & artem ſecundùm eandem conſiderationem, concedo conſequentiam; ſecundùm diverſas, nego.

CAP. VIII.

Sitnè Logica ſpeculativa, vel practica.

71. EX ſuperiori quæſtione pendet præſentis reſolutio: Ne tamen ullus tergiverſationi remaneat locus,ſupponimus ex communi ſenſu illam cognitionem eſſe ſpeculativam, quæ ſiſtit in

mera

mera ſui objecti contemplatione; practicam verò, quæ tendit ad aliquid operandum. Patet ex ipſo nomine, nam *Praxis* nil aliud ſonat, quàm opus factibile; ſatiſque inſinuatur ab Ariſtotele 2. *Metaph. cap.1.text.3. Finis*, inquit, *ſpeculativi eſt veritas, practici autem opus*: ubi obitèr obſervandum, nullam à Philoſopho diſtinctionem fieri inter opus externum & internum, aut opus intellectuale & extra intellectum: ut innueret, æquè his ac illis rationem Praxis poſſe competere.

72. Et ſanè ſi operi tantùm externo Praxeos nomen conveniat, nullus actus voluntatis erit praxis, nec moralis philoſophia practica nuncupabitur, quod eſt abſurdum. Si autem voluntatis actus, qui ex alterius directione fiunt, praxeos nomine gaudere admittamus; non eſt ratio cur ſimiliter actus intellectûs, qui ex directione alterius actûs ejuſdem potentiæ eliciuntur, tales eſſe negemus. Alioqui actus virtutis moralis, Prudentiæ, Fidei, &c. qui utique intellectuales ſunt, nequaquam praxis dici poſſent; nec Arithmetica, Geometria, arteſque ullæ liberales

ſecundùm aliquam ſui partem practicæ dicerentur, quod pariter eſt abſurdum.

73. Gratis ergo Scotus docet *Intellectum extenſione fieri practicum*, nempè regulando actus aliarum potentiarum; nec fideliter citat Ariſtotelem *lib. 3. de Anima*; cùm nec ibi, nec uſquam apud Philoſophum hoc axioma reperiatur: & ſicubi reperiretur, non eſſet opus intelligi de extenſione ab una ad aliã potentiam, ſed ab uno ad alium actum: per hoc enim quòd unus actus intellectûs doceat modum quo alii actus ejuſdem intellectûs efficiendi ſint, benè ſalvatur in illo ratio practici.

74. Dices: Actus intellectus eſt pura ſpeculatio; ergo implicat eſſe praxim. Diſtinguo antecedens: activè ſumptus, conceditur; paſſivè, negatur antecedens. Paſſivè enim ſumptus poteſt eſſe praxis reſpectu alterius actus, quo ipſe cognoſcitur ac dirigitur. His autem ſuppoſitis, facilè componitur Logicam eſſe ſimul practicam & ſpeculativam, ſequenti pacto.

Prima Propoſitio. Logica objectiva eſt ſimplicitèr practica.

75. Pro-

75. Probatur evidenter. Illa facultas eſt practica, quæ non quieſcit in contemplatione ſui objecti, ſed intendit aliquid efficere: ita ſe habet Logica objectiva; ergo eſt ſimpliciter practica. Majorem *num.* 71. ſuppoſuimus: minorem præterita quæſtione probavimus.

76. Confirmatur tum ex antiquiſſima diviſione Logicæ in Docentem & Utentem, quæ ſatis indicat habere pro fine uſum ſeu praxim; tum quia regulæ quà tales ideò traduntur, ut ad aliquid efficiendum deſerviant, proptereaque appellatur *Inſtrumentum & Organum*: unde S. Thomas *opuſc.* 70. *in quæſt.* 8. *de diviſione ſcientiæ ſpeculativæ art.* 1. *ad* 2. *Scientiæ*, inquit, *ſpeculativæ ſunt de illis, quorum cognitio quæritur propter ſeipſas. Res autem de quibus eſt Logica, non quæruntur propter ſeipſas, ſed ut adminiculum quoddam ad alias ſcientias.*

77. Confirmatur ſecundò à pari: nam facultas directiva operis ſecundùm regulas honeſtatis, eſt practica; ergo facultas directiva operis ſecundùm regulas veritatis, eſt etiam practica. Quæcumque enim

diſparitas aſſignetur, ex proximè dictis inanis futiliſque convincitur.

Altera Propoſitio. Logica formalis ſive reflexa eſt formaliter ſpeculativa, & eminenter practica.

78. Prima pars ſuadetur, nam Logica formalis non dirigit formaliter ad opus faciendum; ſiquidem actus directus, qui eſt illius objectum, non efficitur ſed cognoſcitur ab actu reflexo; igitur eſt formaliter ſpeculativa. Confirmatur. Cognitio ſpeculativa illa eſt, quæ contemplatur objectum jam exiſtens; ſed Logica formalis contemplatur objectum jam exiſtens, cum regulæ reflexionem mentis antecedant; ergo, &c.

79. Suadetur ſecunda pars, nam hæc reflexa cognitio, *Omne explicativum debet eſſe clarius re explicatâ: definitio eſt oratio explicativa definiti; ergo, &c.* æquivalet huic *Vt facias bonam definitionem, debes illam conficere clariorem ſuo definito.* At qui hujuſmodi cognitio ſic expoſita dirigit ad opus; ergo Logica formalis ſaltem eminenter & virtualiter practica dici poteſt.

80. Col-

80. Colliges jam ex dictis, logicam ſecundùm omnes & ſingulas ſui partes eſſe practicam & ſimul ſpeculativam; cùm unaquæque pars utramque ſæpiùs repetitam conſiderationem, directam ſcilicet & reflexam, ſubire queat. Unde minùs conſequenter videtur proceſſiſſe P. Maignan *cap. X. philoſ. ratioc. num. 35.* ubi docet logicam inquantùm continet præcepta & leges, & modum rectè ratiocinandi, eſſe practicam: inquantùm poſteà habet definitiones, & alias hujuſmodi notitias merè ſpeculativas, eſſe ſpeculativam. Cùm enim ipſe logicam definiat ibidem *nu. 33. eſſe diſciplinam mentalium operationum directivam*, ſubdatque hanc definitionem tradi ex proprio ſuo munere, quod eſt operationes mentis dirigere; conſequens eſt ut ſi aliqui actus non ſint directivi ſed ſpeculativi, non ſint dicendi actus logicales, utpotè non continentes eſſentiam & munus proprium logicæ.

81. Oppones primò. Illa diſciplina eſt abſolutè ſpeculativa, cujus finis eſt veritas; ſed finis Logicæ eſt veritas; ergò Logica eſt abſolutè ſpeculativa. Reſponde-

tur veritatem poſſe duplici ſenſu eſse finem diſciplinæ: vel quatenus cognoſcendam, vel quatenus efficiendam. Primo quidem ſenſu eſt finis logicæ formalis; ſecundo ſenſu eſt finis objectivæ: hæc enim non tàm veritatem intendit contemplari, quàm efficere, hoc eſt mediantibus præceptis introducere in actibus intellectus, alioqui nulla eſſet regularum neceſſitas aut utilitas.

82. Oppones ſecundò. Illa ſcientia cenſetur ſpeculativa, quæ habet pro fine ipſum Scire & fugare ignorantiam: hunc profectò finem habet logica; ergo eſt ſimplicitèr ſpeculativa. Ita arguit Goudinus *quæſt. præam. logicæ art. 4.* venditans majorem propoſitionem pro Ariſtotelicâ doctrinâ, traditâ *primo Metaph. cap. 1.* At, ſuâ pace, Philoſophi textum ne à limine quidem ſalutavit. Tranſmiſsâ igitur majore, minor eſt diſtinguenda: vel enim finis logicæ eſt reddere intellectum ſcientem circa ſolam materiam logicalem, vel in alijs etiam materijs. Si dicatur primum, contradicitur communi Scholæ, & Sancto Thomæ docenti logicam non quæri propter

pter ſeipſam, ſed eſſe inſtrumentum aliarum ſcientiarum. Si ſecundum, manifeſtum eſt id fieri à logica directivè, non autem formalitèr: quapropter ſemper ſtat logicam objectivam, quatenus dirigit intellectum ut ſcientias absque errore adipiſcatur, eſſe ſimplicitèr practicam.

83. Oppones tertiò. Ità ſe habet ratio Speculativi & ratio Practici reſpectu ſcientiæ, ſicuti Rationale & Irrationale reſpectu Animalis; ſed non poteſt dari animal, quod ſimul ſit rationale & irrationale; ergo non poteſt dari ſcientia, quæ ſit ſpeculativa ſimul & practica.

Reſpondet 1. Cattanæus *hìc diſp. 2. quæſt. 3.* negando majorem, quia Irrationale eſſentialiter includit negationem Rationalis. Sed contrà eſt, tum quia Irrationale eſt differentia poſitiva, quamvis ob vocabulorum inopiam, per negationem explicata; tum etiam quia ſi loco *Irrationalis* ponatur in argumento *Hinnibile*, vel alia differentia poſitivo nomine ſignificata; idem robur habebit argumentum, nec infringetur allatâ diſparitate: nam eadem ratione qua hinnibile exclu-

dit

dit rationale, practicum excludit ſpeculativum.

84. Secundò negat paritatem, quia logica non eſt ſimplicitèr practica,& ſimplicitèr ſpeculativa; ſed ſecundùm quid tantùm ſpeculativa, & ſimplicitèr practica. Sed contrà: repugnat animal eſſe ſimplicitèr rationale, & ſecundùm quid irrationale vel hinnibile;ergo paritèr videtur repugnare quòd logica ſit ſimplicitèr practica, & ſecundùm quid ſpeculativa.

85. Alia igitur quærenda ſolutio eſt, ſive alia diſparitas aſſignanda, quam nos claram in promptu habemus. Ideo nimirum animal non poteſt eſſe ſimul rationale & irrationale, quia unicus eſt animalis conceptus. Non eſt autem unicus conceptus logicæ; ſiquidem actus reflexus realitèr diſtinguitur à directo; atque adeò non repugnat uni actui quidpiam competere, quod alteri denegatur.

CAP.

CAP. IX.

De objecto logicæ in communi.

86. OBjectum ex vi nominis nihil aliud ſonat quàm quod objicitur ſivè offertur potentiæ,& terminat ejus actum : qua ratione Color dicitur objectum potentiæ viſivæ, Sonus potentiæ auditivæ, Verum intellectivæ, Bonum volitivæ. Hinc eſt quòd objectum ſcientiarum, artium, & habituum eſt illud omne, circa quod ſcientiæ, artes, & habitus verſantur.

87. Dividitur objectum ut ſic in Materiale & Formale. Formale illud eſt, quod immediatè & ratione ſui attingitur; Materiale eſt quòd attingitur ratione alterius, ut in Promptuario diſtinctionum *Parte 2. lib. 2.* Ex objecto Materiali & Formali componitur objectum attributionis, quod in ſolis ſcientiis & artibus invenitur; eſtque illud, quod primò & per ſe conſideratur, & ad quod reliqua omnia, quæ ſunt in tali ſcientia vel arte, ultimò referuntur. Sic ſtatua cenſetur objectum

at-

attributionis artis ſtatuariæ : quia quæcumque hæc ars conſiderat, ordinantur ad ſtatuam efformandam.

88. His brevitèr expoſitis, celebris eſt quæſtio inter Doctores, reijcientes hinc inde oppoſitas ſententias, circa logicæ objectum; multòque ſerior ac prolixior contentio eſt, quàm, ut quidam pertæſus dixit, ſi de ſalute Reipublicæ ageretur. Sed & meo quidem judicio aërem verberant; cùm pro qualitate logicæ quam quisque tradit, poſſit ei peculiare objectum aſſignare, & varium, prout libuerit, ſibi finem præfigere.

Prima Propoſitio. Objectum materiale noſtræ logicæ, ſunt operationes intellectus.

89. Probatur. Illud dicitur objectum materiale artis vel ſcientiæ practicæ, quod eſt materia ex qua fit opus intentum per talem artem vel ſcientiam : uti eſt ferrum v.g. in arte frænifactiva, lapis in arte ſtatuaria &c. ſed materia ex qua fit opus logicum, ſunt operationes intellectus; ergo eædem ſunt objectum materiale ipſius. Minor patet, quia opus logicum eſt e.g. bo-

bona definitio aut diviſio, vel recta argumentatio; hæ autem fiunt intrinſecè ex operationibus intellectus, unde benè dici poteſt *definitio eſt operatio intellectus*, non minùs quàm dicitur, *ſtatua eſt lapis*.

Secunda Propoſitio. Objectum formale ejusdem logicæ eſt directio earundem operationum.

90. Probatur: nam cùm operationes mentis ſub diverſis rationibus conſiderari poſſint, nempè ut ſunt ens, ut ſunt qualitates phyſicæ vel logicæ, aut actiones vitales, & etiam quatenus rectificandæ: hæc ſanè poſtrema ratio penſitatur à logica, ut ex ipſa nominis ethymologia à principio deduximus; priores autem formalitates ſpectant ad animaſticam facultatem. Ergo directio operationum intellectus eſt formale logicæ objectum, ut fuit propoſitum.

Tertia Propoſitio. Objectum attributionis ſunt operationes intellectus ut dirigendæ.

91. Conſultò dictum eſt, *ut dirigendæ*, non autem cum nonnullis *Rectæ* aut *dirigibiles*: quandoquidem logica non inten-

tendit rectitudinem in ſuo objecto inventam ſpeculari, ſed efficere: nec item tribuere curat operationibus mentis capacitatem directionis, cùm hæc ſit illis intrinſeca & eſſentialis; ſed ipſam directionem.

92. Sequitur autem propoſitio ex præcedentibus. Illud enim diximus eſſe objectum attributionis, quod coaleſcit ex materiali & formali: hujusmodi ſunt *operationes intellectus ut dirigendæ*, ex probatis; ergo. Confirmatur: objectum attributionis alicujus facultatis eſt quod per ſe intenditur ab illa, & ad quod cætera ordinat. (quæ propterea vocantur objectum Attributi.) Sed omnia de quibus in logica tractatur, ordinantur ad rectificandas intellectus operationes, ut ex dictis colligitur, & perpendenti ſingulas noſtræ logicæ partes palàm fiet; igitur operationes intellectus ut dirigendæ, ſunt ipſius objectum attributionis.

93. Dices. Operationes intellectus non ſunt dirigibiles; ergo non poteſt logica habere pro objecto earum rectitudinem. Antecedens probatur, nam dirigibili-

bilitas vel convenit cognitionibus elicitis, vel eliciendis:non primum,quia poſtquàm actus in lucem prodiit, aut eſt rectus, & ſic directione non eget; aut indirectus, & ſic non poteſt idem permanens ampliùs rectificari. Non ſecundum,quia cùm idem numero ſit actus elicitus atque eliciendus, ſi ille non poteſt dirigi, nec etiam iſte poterit.

Reſpondetur,operationes mentis non eſſe quidem dirigibiles immediatè & in ſeipſis,ſed mediatè & in ſua cauſa; quatenus intellectus reflectens ſupra regulas præſcriptas, loco eliciendi operationem pravam, eliciat rectam. Quòd ſi ex hoc inferas directionem cadere ſupra potentiam, non ſupra actum, proindeque intellectum potiùs quàm operationes ſuas dicendas eſſe objectum attributionis;loquere ut lubet, cum ſit quæſtio de nomine, & idem ſit dicere, *Operationes ut in cauſa*, atque *Cauſam in ordine ad operandum*. Sicut autem in mechanica objectum artis eſt ſtatua & non ſtatuarius, quamquam eadem ut efformanda non diſtinguatur ab idea & virtute ipſius; ita in logica ſermocinandum eſt.

94.In-

94. Inſtabis. Illa cauſa poteſt dirigi, quæ ita operatur, ut poſſit aliter operari; ſed intellectus, cùm ſit cauſa neceſſaria, ita operatur, ut aliter nequeat operari; ergo operationes intellectus nec in ſe nec in cauſa ſunt dirigibiles.

Reſpondetur diſtinguendo minorem: quando eſt proximè applicatus, conceditur; quando nondum eſt proximè applicatus, negatur: in hoc enim ſigno ſubditur voluntatis imperio, & conſequenter directioni. Sic oculus apertus habens ante ſe objectum, nequit claram viſionem cohibere; at poteſt benè illud ſubobſcurè cernere, aut nullatenus videre, ſi indebitè applicetur, vel aliò ſe divertat.

95. Dices ſecundò: Omnes quidem ſcientiæ & facultates mentem inſtruunt ac dirigunt, nec propterea operationes mentis ut dirigendæ cenſentur objectum omnium facultatum; ergo nec etiam cenſebuntur objectum logicæ, quòd intendat illas dirigere.

Reſpondetur primò alias ſcientias, ſi mentem dirigunt, id facere directione particulari, hoc eſt in ordine ad conſe-

quen-

quendam notitiam alicujus particularis objecti ab ipſis intenti; atque ideò objectum ipſum ſpecialiter intentum conſtituitur objectum attributionis illarum. Logica verò dirigit directione univerſali, hoc eſt nullum ſibi determinans objectũ, mentem inſtruit ad notitiam cujuscumque; ideò peculiari jure vendicat ſibi pro objecto mentales operationes ut dirigendas.

96. Reſpondetur ſecundò negando ſimpliciter aſſumptum antecedentis: aliæ enim facultates perficiunt mentem per modum formæ, non dirigunt per modum normæ: utpotè quæ ad aliud non ſunt per ſe ordinatæ: rurſus ſi ex fine haberent mentem dirigere, deberent tradere modum & normas dirigendi; ſicque à Logica non differrent, contra ſuppoſitum. Poſtremò qui ad alias ſcientias neceſſariam omninò contendunt logicam, profectò fateri debent mentem ab illis non dirigi, ſed rectam & regulatam logicalibus præceptis præſupponi.

97. Dices tertiò: Noſtra logica de vocibus ac terminis fuſiſſimè & ex profeſſo,

E nem-

nempè per unum & alterum copioſum librum agit, ut *in 2. parte*. Non igitur aliud quàm voces ipſæ, prout Nominalibus placuit, erit illius principale objectum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens: agit de vocibus primariò & per ſe, nego antecedens; ſecundariò & per accidens, concedo. Agit nimirùm de vocibus, quatenus ſunt exteriùs expreſſivæ internorũ conceptuum, & quatenus ex earum æquivoca impropriave ſignificatione, confuſio idearum oritur: unde conceptus ipſi & ideæ rectificandæ conſtituentur logicæ finis, voces autem medium ad finem.

98. Dices quartò: Præcepta logicalia eò demum tendunt, ut res benè cognoſcantur, ſive ut conformetur cognitio cum rebus, in quo conſiſtit formalis veritas à logica intenta. Ergo Res potiùs quàm mentis operationes, erunt logicæ objectũ. Sic quidam cum Zabarella, ſed non ad rem: nam etiam Pictor intendit conformare Imaginem ſuo exemplari, putà Cæſari, & nihilominùs Cæſar eſt objectum remotum picturæ: ita ſimiliter Res ſunt

obje-

objectum remotum logicæ, proximum verò ipſæ cognitiones; neque contrarium facto argumento evincitur.

CAP. X.

De objecto Logicæ in particulari.

99. QVoniam indiſtinctè hactenus atque in communi de functionibus mentis locuti ſumus, dubium remanet num omnes & ſingulæ, an certè ſolus diſcurſus, objecti logicalis prærogativa gaudere debeat. Non ignoramus Albertum, Scotum, alios, varias mutuòque oppoſitas tenuiſſe ſententias, quas nos diſſimulare volentes, ſatis propoſito faciemus, ſi ſenſum noſtrum breviter & candidè aperiamus.

Prima Propoſitio. Simplex apprehenſio quoad actus primò primos, ab objecto attributionis logicæ meritò excipienda eſt.

100. Probatur: cùm enim idem actus nequeat à ſeipſo dirigi, alioqui foret dirigens & directus, priorque & poſterior

ſe; non habet utique primus actus à quo actu dirigatur. Si namque ad alium priorem fugias, hoc ipſo primus non erit primus, deque illo priori poſtulabo, à quo alio dirigatur? undè alterutrum concedere oportebit, aut ſcilicet in actuum ſucceſſione non dari primum: aut primum, ſi ille datur, eſſe omninò indirigibilem, ac per conſequens non logicæ objectum.

101. Rursùs actus primò primi, qui fiunt in nobis ſine nobis, non ad artem pertinent, ſed ad naturam. Hi nimirùm voluntatis imperio nequaquàm ſubſunt, cùm nequeat voluntas in incognitum ferri; ideò vix crediderim intellectum circa hujusmodi, correctioni ſubjacere. Idipſum fortè eſt dicendum de Judicio ac Diſcurſu ſubitaneo, quæ cùm ex ſenſu patiente(ut in manus v.g.improviſa combuſtione, vel alio fortuito caſu contingeret) ſtatìm fiant; videntur non poſſe regulari.

Secunda Propoſitio. Judicium temporaneum æquè ac diſcurſus, eſt objectum attributionis logicæ.

102. Hâc unâ ratione id mihi perſuadeo, quia rectum verumque judicium eſt ope-

operatio per ſe expetibilis, non minùs quàm rectus diſcurſus; ergo utraque operatio poteſt intendi à logica, tanquam ſuus finis & objectum. Immò addiderim potiori jure intendi à logica & eſſe illius objectum attributionis, judicium quàm diſcurſum: quandoquidem hic ſupra judicium ut ſic, nihil aliud explicat præter Illationem, ut fusè dicam *lib. 2. num. 10.* Hæc autem non eſt expetibilis propter ſe, ſed potiùs propter judicium ipſum colligendum & certificandum: undè patet deſiſtere ſtatìm intellectum à ratiocinio, ubi ei claiè ſeſe offert objecti veritas, quemadmodum obtento fine, ceſſant media.

103. Dices. Objectum attributionis illud eſt, ad quod cætera revocantur; ſed ad diſcurſum omnes aliæ operationes revocantur; ergo ſolus diſcurſus eſt objectum attributionis logicæ. Reſpondetur minorem gratis aſſumi: cùm enim dictum ſit Judicium eſſe operationem per ſe expetibilem, & fortaſsè magis quàm diſcurſum; ſolùm per accidens ad eundem revocari poteſt.

104. Dices ſecundò. Illud cenſetur objectum attributionis, quod eſt nobiliſſimum inter objecta partialia; ſed diſcurſus eſt nobiliſſima operatio inter omnes alias; ergo &c.

Reſpondetur negando minorem, nam modus quo cognoſcit Deus res, eſt utique nobilior quolibet alio modo; ſed Deus per ſimplex judicium res cognoſcit, & non per diſcurſum, quippe qui involvit imperfectionem; igitur Judicium ex ſuo conceptu eſt operatio nobilior diſcurſu, tantùm abeſt quod ignobilior cenſeatur.

105. Dices tertiò. Logica eſt modus ſciendi, & inſtrumentum ſcientiarum; ſed *Scire*, cùm ſit rem cognoſcere per cauſam, pertinet ad ſolum diſcurſum; ergo ſolus diſcurſus eſt objectum attributionis logicæ.

Reſpondetur diſtinguendo majorem: logica eſt modus ſciendi &c. ſcientiâ preſsè vel latè ſumptâ, permittitur; ſcientiâ tantùm preſsè ſumptâ, negatur. Vide me *Parte 2. lib. 5.* ubi variæ Scientiæ uſurpationes exponuntur; interim verò ad minorem dicimus *Scire* ſolùm preſsè ſeù ſtrictè ſum-

ſumptum, quod nimirùm tantùm ſupponit præcognitionem cauſæ, ad diſcurſum pertinere; ſcientia autem, quæ logicam ſciendi modum & ſcientiarum inſtrumentum denominat, in ſtrictâ & latâ ſignificatione capitur, ùt dictum eſt, & fateri quoque id tenentur adverſarij, tradentes triplicem modum ſciendi, ſcilicèt Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem; non autem ſolam Argumentationem.

C A P. XI.

An, & qua ſit logica artificialis ut ſic utilitas & neceſſitas.

106. NOn ſemèl Adverſarii, quibuſcum agere in ſuperioribus debuimus, ad præſentis cauſæ deciſionem importunè provocaverunt; eandemque ipſi, velut operis inſtituto declarando apprimè neceſſariam, impatientèr præſtolati ſumus. Ideò illam ad calcem uſque dilatam, oportet jam pro dignitate & merito ventilare, ac juxta veritatem reſolvere.

Quòque clariùs procedat, in duo capita diſtinguenda eſt: itaut in primo examinetur utilitas neceſſitasque dialecticæ artificialis in communi, ſeu ſecundùm ſe ſumptæ, ut loquitur Maſtrius *hic articulo 2. de fine logicæ*; ſive, quod idem eſt, facultatis alicujus directivæ operationum intellectûs, quæcumque demùm illa ſit, & à quocumque tradita. In ſecundo agatur de Dialectica in particulari, videlicèt de illa, quæ ex Ariſtotele in Scholis traditur, & vulgò circumfertur.

107. Antequàm verò ſingula perſequamur, monere pro terminorum intelligentia non omittimus, duplicem dari neceſſitatem, nempè abſolutam ſeu exiſtentiæ, & ex ſuppoſitione ſeu finis: prima competit ſoli Deo, qui unus non poteſt non exiſtere; altera competit mediis, ſine quibus finis aliquo ſenſu obtineri nequeat. Bifariàm autem poſſunt media eſſe ad finem neceſſaria, *ſimpliciter* nimirùm, ut ajunt, & *ſecundum quid*. Vel enim abſque hoc medio v. g. obtineri finis abſolutè non poteſt; vel poteſt quidem, ſed minùs commodè. Si primum, erit neceſ-

ſariam

ſariam ſimpliciter, ſive omnimodè & abſolutè; aliàs ſecundùm quid ſive ad melius eſſe: quamquam,ut verum fatear,hęc neceſſitas propriori appellatione *Utilitas* dici deberet;niſi fortè ad commoditatem ipſam, quæ haberi ſine eo medio prorsùs nequeat, potiùs quàm ad principalem finem, propter quem eligitur medium, reſpiciamus.

108. Porrò prior neceſſitas ſubdividitur in phyſicam, metaphyſicam, & moralem. Appellatur phyſicè neceſſarium, id ſine quo viribus naturæ res intenta obtineri nequit, quippè quæ vires illas excedit, quomodo cibus eſt nobis neceſſarius ad vitam protrahendã. Metaphyſicè neceſſarium eſt,ſine quo ne per abſolutam quidem Dei potentiã res haberi poteſt;eo quòd repugnet: quo pacto cauſa neceſſaria eſt ad exiſtentiam cujuslibet effectûs contingentis. Moralitèr tandem neceſſarium illud dicitur, ſine quo rei acquiſitio nec in ſe repugnat, nec naturæ vires exuperat; ſed nihilominùs ob ingentes, quæ adverſantur, difficultates, judicio prudentum cenſetur impoſſibilis: ita impoſſi-

poſſibile eſt vitare omnia venialia toto vitæ decurſu, abſque ſpeciali gratia per Chriſtum.

109. Secundò monere volumus, in ſcientiis & facultatibus, pro quibus jam logicalis medii neceſſitas controvertitur; diligentèr diſtinguendam eſſe Acquiſitionem & Defenſionem, itaut aliud ſit controvertere, num ſit logica neceſſaria ad ſcientias acquirendas, aliud ad defendendas: ſimilitèr aliud ſit eandem eſſe neceſſariam ad diſputandum, aliud ad rerum veritates ut in ſe ſunt, intimè cognoſcendum, prout clariùs infra. Quibus ſic monitis & declaratis, ut certa ab incertis, & à falſis vera ſecernantur, plures gradatim propoſitiones, à certioribus nimirùm & facilioribus exordiens, in medium ponam.

Prima Propoſitio. Logica artificialis non eſt ſimplicitèr neceſſaria ad ſcientias capeſſendas, neceſſitate phyſicâ aut metaphyſicâ.

110. Ratio communis eſt, quia nullus habitus acquiſitus dat ſimplicitèr poſſe, hoc eſt phyſicam aut metaphyſicam potentiam

tiam

tiam ad actus, immò eam ſupponit. Cùm enim reſultet ex actibus frequentatis, primus ſaltèm actus fuit ſine habitu productus per ſolam potentiam naturalem. Hoc quidem directè probat habitum logicalem non eſſe neceſſarium ad actus ſuos, ex quorũ repetitione genitus fuit; indè verò trahi fortè poteſt ad actus aliarum ſcientiarum ſaltèm indirecta conſequentia ex iis quæ *num.* 119. docturi ſumus. Actus enim proprii difficiliores ſunt quàm actus cæterarũm ſcientiarum; ergo ſi non eſt phyſicè aut metaphyſicè neceſſarius ad proprios, nec erit ad alienos.

111. Suadetur inſuper Propoſitio, quia objecta ordinis naturalis non ſunt improportionata potentiæ naturali ſecundùm ſe; ſed cognitiones ſcientificæ, quas intellectus humanus in hac vita adipiſci curat, habent objectum naturale, vel ſaltèm non ſupernaturale reduplicativè quà tale; igitur intellectus humanus in ſuo naturali eſſe conſtitutus, independentèr ab habitu logicali extrinſecùs adveniente, eſt in actu primo potens ſcientias omnes adipiſci; ſolùmque à difficultatibus ex

parte

parte medii aut circumſtantiarum, ſi quæ fortè inſuperabiles exiſtant, ſeſe tenentibus, in actu ſecundo impediri poteſt. Prætereà habitus quilibet adventitius ſuppleri à Deo poteſt per extrinſecã aſſiſtentiam, aut, ſi vis, per internum aliud ſeu naturale ſeu ſupernaturale comprincipium. Quamobrem nulla phyſica, multòque minùs metaphyſica ſupererit ad ſciẽtias capeſſendas, Dialecticæ neceſſitas.

Secunda Propoſitio. Logica artificialis neceſſaria eſt moralitèr, aut ſaltèm ſecundùm quid ad rectè diſputandum, & ſcientias acquiſitas defendendum.

112. Patet rationibus omnibus & Patrum teſtimoniis, quibus plurimi probare nituntur eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſcientias comparandas: nam ad minimum perſuadunt quod propoſuimus. Confirmatur, nam ſæpè accidit, ut quis rem certò ſciat, & nihilominus adverſarium convincere, aut interpellanti rationem ſui ſciti reddere neſciat. Ad hoc ergo ſaltem Logicæ præſidium eſt neceſſarium, ut & pervicaces compellas, & importunis eorundem cavillationibus non ſuccumbas: mul-

multùm quippe prodeſt artem arte deludere; expeditque interdū *reſpondere ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*; atque adeò nedum Logicâ aliquâ optimâ in hiſce caſibus uti oportet, ſed & formam ipſam Peripateticam inferiùs reprobandam adhibere conſultum eſt, adversùs Vulgares ſimilitèr eam adhibentes, & per eandem de nobis aliquādo triumphaſſe gloriantes. Videatur Auguſtinus *lib.2. dialect. cap.13.* Prov.c.26.

Tertia Propoſitio. Ad ſcientias ipſas etiam comparandas, ſecundùm quid neceſſaria eſt aliqua Logica.

113. Hoc ipſum quidem probant indicata Patrum teſtimonia, præſertim Auguſt. *loco cit.* ubi ſummis laudibus Dialecticam efferens, illam vocat *Diſciplinam diſciplinarum, quæ docet docere, quæ docet diſcere, &c.* Et iterùm *lib.2. de doctrina Chriſt. cap.31. Cave*, inquit, *ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, qua uſos Apoſtolos confiteris*, & rursùs ibidem: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum quæ in litteris ſunt, penetranda & diſſolvenda plurimùm valet.*

Ratio

114. Ratio autem eſt manifeſta, nam juvat utique ad ſcientias comparandas Logica naturalis: ergo multò magis aliqua artificialis. Patet conſequentia, quia ſicut Ars perficit Naturam, ita artificialis Logica, ſi rectè in ſuis regulis procedat, perficiet naturalem. Inſuper quis negabit, mentem noſtram, quandiù in corpore diverſatur, poſſe errare & deficere, defectusque ipſos & errores in quos ſemel prolapſa eſt, per attentiorem reflexionem emendare, ut cautiùs deindè incedat ac tutiùs? Hanc ergo reflexionem animadverſionemque ex dictis *num.* 3. appello *Logicam*; quæ ſi recta fuerit ac legitimè proceſſerit, ut, niſi mea me fallat opinio, puto proceſſuras regulas & obſervationes à me in decurſu tradendas; juvabit admodùm, atque adeò ſecundùm quid neceſſaria erit ad ſcientias comparandas, ut jam dicebam.

115. Ex hoc colligitur contra Epicurum Athenienſem, & Cyrenaicos philoſophos Ariſtippi Sectatores, relatos à Laërtio *lib.* 1. & 10.; necnon recentes paucos, qui acriter in dialecticam omnem de-

debacchati, eam incommodi potiùs cauſam arbitrati ſunt, ſtultè ſecundùm ſe ſumptam cenſeri ſimpliciter inutilem.

Nec verò cuiquam, veluti mendacem ac deceptricem, eam criminari licitum erit, quòd doceat ex falſis præmiſſis nonnunquam ſequi concluſionem veram. Nam hoc ſolùm procedit de Logica Ariſtotelis: qui & reſpondere poſſet, præmiſſas falſas, ut ex ipſis concluſio vera deducatur, tanquam veras ſupponendas eſſe, ut dicemus *par.2.lib.5*. Igitur ex vero ſaltem ſuppoſito verum ſequitur, non autem ex arbore mendacii fructus ullus colligitur veritatis, uti jactabundus inſultat Joa. Bapt. Vanhelmont *tract.8.* qui inſcribitur *Logica inutilis*.

Hæc citra omnem penè dubitationis aleam eſſe videntur. Quod difficilius faceſſit negotium, reſiduoque jam calce diſquirere poſſumus, eſt, an ad ſcientias acquirendas neceſſaria ſit logica aliqua *ſimpliciter moraliter*: & quid de logica, quæ ex Ariſtotele in ſcholis traditur.

Quarta Propoſitio. Nulla logica ad ſcientias rerũ ut in ſe ſunt, acquirendas, eſt ſim-

ſimplicitèr neceſſaria.

116. Suadetur primò à poſteriori. Cùm enim ante logicæ inventionem, multi iique celeberrimi extiterint Philoſophi, Medici, ac Mathematici ſapientiſſimi, ut teſtatur Ariſtoteles *in Proëm. Metaph.* evidens eſt argumentum, ad ſcientias quaslibet capeſſendas, artificialem logicam ſimplicitèr non eſſe neceſſariam. Ii profectò fuere Thales Mileſius, Hippocrates, Democritus, Ægyptii, Arabes, Hebræi, Chaldæi omnes, & Græci, quorum plurimi non ante Ariſtotelem modò, ſed ante Zenonem quoque Eleatem, à quo Ariſtotelem & alios prima Dialecticæ rudimenta deſumpſiſſe diximus, floruere.

117. Scio ab Ariſtotele iſtos reprehendi quòd in multis erraverint, & ſcientias non perfectè calluerint, ſolo defectu logicæ. Sed quàm gratis & calumnioſè hoc dicatur, nemo non videt. Quis enim, ut digniſſimum illum Græciæ ſapientem taceam, crediderit Hippocratem, medicinæ facilè principem, ſuam artem & ſcientiam imperfectè calluiſſe? Errores autem, ſi qui in eorum libris irrepſerint, non tàm lo-

logicæ defectui, quàm naturali humanæ mentis fallibilitati tribuendos eſſe, ex eo colligitur, quòd & Ariſtotelem ipſum, & omnes alios logicâ inſtructos, paritèr erraſſe compertum habeamus.

118. Alii vim clariſſimam argumenti alitèr evadere neſcientes, dicere adacti ſunt, prædictos philoſophos non omninò caruiſſe logicâ; ſed eâ proprio labore ac animadverſione partâ uſos eſſe. Profectò non contradixerim potuiſſe tantos viros obſervationem aliquam, quæ greſſus ſuos in veritatis proſecutione regeret, mente concipere, & forſitan concepiſſe, quemadmodum idem de Adamo pręſumpſimus *cap.2.à n.16.* Id nihilominùs omninò incertum eſt, cùm præter Methodi inventionem, quam Galenus *lib.5.Methodi cap.* 10. verè aut falsò attribuit Hippocrati, nil peculiariter ſcriptum reperiamus. Pręterea debuiſſent ipſi ſic reſpondentes rationem exhibere, cur proprio labore, ac naturali rationis lumine, Logicam illi parere potuerunt, & in aliis deindè ſcientiis tàm ſteriles extiterint? Unde

119. Argumentor contra, & ſit altera

probatio propoſitionis. Potuit logica acquiri abſque logica; ergo potuerunt & aliæ ſcientiæ. Antecedens certum eſt, quia alioqui aut daretur proceſſus in infinitum in aſſignandis Logicarum Logicis; aut idem præcederet ſeipſum. Cōſequentia probatur, nam cùm Logica adhùc ſciētia ſit ex dictis *cap. 7. num. 63.* immò inter alias obſcuriſſima, ex dictis etiam *num. 7. & ſequ.* necnon *num. 30.* faciliùs eſt ſcientias alias quàm Logicam comparare.

120. Dies forſan, non eſſe paritatem de Logica ac de aliis ſcientis: quia Logica eſt modus ſciendi; modi autem non datur modus; igitur ad acquirendam logicam non requiritur alia logica; ſecùs eſt in aliis ſcientiis, quæ non ſunt modus ſciendi. Hæc reſponſio petit principium: per hoc enim quod Logica ſit modus ſciēdi, non tollitur quòminùs ſit ſcientia difficillima: quare ergo ille modus acquiri poteſt abſque alio prævio modo; ſcientiæ autem non poſſunt?

121. Dices ſecundò, Logicam eſſe paritèr ſibi ipſi neceſſariam: non quidem totam toti, ſed partem parti. Contrà eſt,

quia

quia ſicut una pars logicæ acquiritur per aliam, & ſucceſſivè de cæteris; ità una pars phyſicæ v.g. poterit acquiri per aliã, & ſic de cæteris. Confirmatur, nam qui unam logicæ partem potuit proprio ingenio excogitare, potuit & partem alterius ſcientiæ; cumque una pars alteri præluceat, potuit tandem ad integræ ſcientiæ acquiſitionem pervenire, non minùs quàm integra ipſa ſcientia logicalis paulatim fuit acquiſita.

122. Dices tertiò cum Fonſeca *lib. 2. metaph. cap. 3. q. 8.* diſparem eſſe rationem in logica atque in cæteris ſcientiis. *Qui enim*, inquit, *ſine Dialectica cæteris ſcientiis ſtudent, ſimul dant operam & rebus quas ſcire cupiunt, & examinandis ipſis diſſerendi formulis, quibus utuntur: qui verò ſoli Dialecticæ incumbunt, ſolis differendi modis ſtudium adhibent.*

Sed contrà eſt, nam omittendo quòd præfatæ formulæ differendi faciliùs in concreto, atque in ſubjecta materia, quàm in abſtracto capiantur; falsò ſupponit Author, ad acquirendas alias ſcientias materialiter ſumptas, attendendum eſſe ad

formulas & modos differendi: ſine his enim adhùc ſcientiæ prædictæ haberi poſsunt, prout de facto eas habuit Thales Milefius & alii relati *num.* 116. Unde adhuc inſolutum permanet argumentum, & propoſitio validiùs confirmata.

CAP. XII.

Potiſſima doctrinæ communioris fundamenta.

123. ADversùs præcedentem propoſitionem Oppones primùm. Logica eſt clavis atque organum ſcientiarum; ità enim ab ipſa penè ſua geneſi conſuevit appellari: item vocatur Janua, quâ apertâ omnes ſcientiæ aperiuntur, & quâ clausâ omnes clauduntur. Quæ quidem nomina atque encomia ſupponunt abſolutam ſui neceſſitatem ad ſcientias; ergo &c.

Reſpondetur cum diſtinctione: eſt clavis atque organum, quantùm ad ſufficienjam, conceditur; quantùm ad neceſſitatem,

tem, negatur. Valet enim utique aliqua logica ad reſeranda veritatum hoſtia; ſed non propterea tollitur, quominùs poſſint ab ipſa natura, licèt difficiliùs reſerari. Cætera nomina atque encomia inter rhetoricas exagerationes computamus, unde cum totis iſtis loquendi formulis, negamus conſequentiam.

124. Oppones ſecundò Galenicum dilemma cõtra Aſſitretem. Vel ex quolibet ſequitur quodlibet, vel non? Si primum, contrà: Cycnus eſt albus, Corvus eſt niger; ergo Aſsitretes eſt aſinus. Si ſecundum, ergo neceſſaria erit logica, quæ docet quando aliquid ſequitur ex alio, & quando non.

Reſpondetur diſtinguendo conſequens, & omittitur de neceſsitate ſecundùm quid, negatur de neceſſitate ſimpliciter. Sanè ex quolibet non ſequitur quodlibet; nihilominùs ad ſciendum ex quo aliquid ſequatur, & ex quo non, etſi juvent congrua dialecticæ præcepta, non ſunt tamen ſimpliciter & abſolutè neceſſaria; cùm poſsimus & aliâ viâ naturaliter venire in talem cognitionem; penetrando

nimirùm principia objectiva conclusionis, & materiam, ex cujus connexione quidpiam ſequi, & quidpiam non ſequi, rationalis natura dictat. Ità in exemplo à Galeno adducto, patet conſequentiam illam negari non ſolùm à peritis in facultate logicali, verùm etiam à ruſticis, qui nunquam audierunt quid ſint ſyllogiſtica præcepta.

125. Oppones tertiò. Non poſſunt cognoſci rerum veritates abſque perfecto diſcurſu; ſed hic per ſolam Logicam habetur; ergo non poſſunt cognoſci rerum veritates abſque Logica. Minor patet, nam perfectus diſcurſus habetur per diſpoſitionem terminorum in modo & figura; ſola autem Logica terminos ità diſponit.

Reſpondetur perfectum diſcurſum comparandis rerum veritatibus neceſſarium, poſſe haberi per logicam naturalem: neq; enim ad hoc exigitur prætenſa terminorum diſpoſitio in modo & figura; cùm non oporteat uti progreſſu demonſtrativo, ſed ſolâ immediatâ cognitione, quâ nimirùm Deus, Angeli, & nos quoque plurimas at-

tin-

tingimus veritates. Deinde etſi omittamus neceſſarium eſſe diſcurſum per medium demonſtrativum; poterit hic haberi per diſpoſitionem materialem terminorum, ſeu per hoc quòd intellectus attingat realem duorum extremorum identitatem cum tertio: quæ utique cognitio realis identitatis tantùm abeſt quòd à regulis logicalibus emendicetur, ut potiùs regulæ ipſæ vanæ ſint ac ſophiſticæ, niſi illam præſupponant, ut infra dicam *nu.* 139. & 144.

126. Inſtabis. Non eſt perfectus diſcurſus, nec ſufficiens ad attingendas rerum veritates, niſi ſit regulatus; ſed ut ſit regulatus, requiritur ex terminis ipſis, regularum interventus; ergo abſque regulis logicalibus attingi non poſſunt veritates rerum.

Reſpondetur diſtinguendo majorem: ſi τὸ *Regulatus* veniat per modum puri nominis, itaut ſit idem ac *Rectus*, conceditur; ſi per modum participii, itaut ſit idem ac *Rectificatus*, negatur major: & conceſsâ minore in poſteriore ſenſu, negatur conſequentia. Verum quidem eſt, requiri ad di-

ctum finem diſcurſum rectum, non tamen rectificatum; rectificatio autem ſeu regulatio ſupponit regulas, non item rectitudo, quæ per ſe haberi poteſt à natura; ſicque ſoluto æquivoco, evaneſcit inſtantia.

127. Inſtabis iterùm. Logica naturalis in nobis eſt imperfecta; ergo niſi per artificialem perficiatur, non poterit mens ad perfectam rerum agnitionem pervenire. Confirmatur: ſine arte mechanica videtur impoſſibile quòd poſſit perfici aliquod ædificium; ergo paritèr incredibile eſt poſſe haberi perfectum diſcurſum, absque arte logicali.

Tranſeat antecedens, & diſtinguo conſequens: non poterit facilitèr & commodè, concedo conſequentiam; non poterit abſolutè & ſimpliciter, nego conſequentiam. Ad confirmationem negamus paritatem: homo enim eſt naturalitèr diſcurſivus, nec alio indiget ad res cognoſcendas magiſterio, niſi earum ſpeciebus; ad perficiendum verò ædificium requiritur Idea, quæ non eſt à natura nobis impreſſa: inſupèr requiritur habilitatio corporeorum organorum, quæ pendet à continua-

to exercitio actuum, ex quibus tandem reſultat habitus, qui ſimul cum idea conſtituit Artem.

128. Oppones 4. Ad obtinendam ſcientiam rerum ut ſunt in ſe, requiritur cognitio certa & evidens per cauſam, itaut conſtet quòd hæc ſit cauſa illius, & non contingat alitèr ſe habere, juxta *Ariſt. 1. Poſt. cap. 13*. Sed hanc cognitionem unius logicæ auxilio conſequi poſſumus; ergo &c.

Reſpondetur diſtinguendo majorem: requiritur cognitio &c. in actu exercito, concedimus; in actu ſignato, negamus majorem. Ad minorem dicimus à ſola quidem Logica ſuggeri cognitionem ſignatã ſeù reflexam ejusmodi; directa verò atque exercita naturali rationis lumine haberi poteſt. Sic vel ruſticus absque ulla reflexione ad logicos canones, certò ac per cauſam non contingentem alitèr ſe habere, adeòque ſcientificè concludet Petrum calefieri, ubi eùm novit igni propinquum.

129. Inſtabis tamen. Nemo poteſt dici ſciens, niſi ſciat ſe ſcire: ut nimirùm

ra-

rationem reddens ſui ſciti, imperturbabilis fiat in ſua ſcientia. Ad hoc autem neceſſaria eſt ſimplicitèr ſupra regulas logicales reflexa cognitio.

At contrà eſt, nam ſi ad ſciendum neceſſaria eſt cognitio reflexa, qua certò ſciamus veram fuiſſe directam; ſequitur quòd ut iſta reflexa, ſcientifica dicatur, & imperturbabilem me reddat in priori cognitione, debeat per aliam reflexam certiorari, & iſta alia per aliam uſque in infinitum. Quod cùm ſit abſurdum, dicendum eſt, ut quis in ſcientia cujuſcumque rei reddatur imperturbabilis, ſatis eſſe ſi res ipſa evidentèr ei proponatur: ſic enim vim habebit determinandi & certificandi intellectum, qui non poteſt à vero evidentèr propoſito aſſenſum dimovere.

130. Dices: ſæpè accidit ut concluſio ſit remota à ſuis primis principiis, & præmiſſæ non ſint per ſe notæ atque evidentes, ſed egeant ulteriori probatione; ergo non poſſunt reddere intellectum imperturbabilem, niſi ad logicam recurramus. Verum quidem antecedens, ſed vana conſequentia: ut enim hoc caſu fiat mens imper-

per-

perturbabilis, ad alios fontes confugiendum eſt quàm ad logicam, quæ media ad quodlibet probandum idonea, ſuppeditare nequit.

131. Oppones 5. Addiſcenti ſcientias occurrunt paſſim ſophiſmata & fallaciæ implicatiſſimæ; ſed hæc ſolvi non poſſunt absque logica, quæ, ut ait quidam Aletinus, eſt veluti lapis lydius ſophiſticum à philoſophico diſcernens, & venam veritatis minimè adulteratam indigitans; ergo logica eſt ſimplicitèr & abſolutè neceſſaria. Confirmatur, nam quis, obſecro, logicâ deſtitutus, evadet hunc syllogismum primo vultu rectiſſimum, utpotè in *Celarent* efformatum, falſum tamen colligentem: *Nullus equus differt ab hinnibili; omnis homo differt ab equo; ergo nullus homo differt ab hinnibili?*

132. Hic eſt Achilles adverſariorum, qui tamen facilè proſternitur diſtinguendo conſequens: eſt ſimplicitèr neceſſaria logica ad diſputandum, & ſcientias aliundè acquiſitas, à calumniis tuendum, omitto conſequentiam; ad ſcientias ipſas acquirendum, nego conſequentiam. Conſtat di-

diſtinctio & doctrina ex dictis *num.109.&* *112.* traditaque in terminis videtur à Theodoreto *lib.4. cap.26.* ubi de Didymo quodam loquens, qui à puero ſenſu oculorũ orbatus, Poëticis nihilominús, Rhetoricis, Arithmeticisque & Aſtronomicis diſciplinis excultus eſt; ſtatim ſubdit: *Ariſtotelis etiam ſyllogismos, & Platonis facundiam aurium adjumentis didicit, non quaſi veritatem iſta doceant, ſed quòd arma ſint veritatis contra mendacium.* Hoc eſt didicit Logicam, non quæ ſcientiam rerum ut in ſe ſunt, doceat; ſed quâ rerum ſcientia jam comparata, à ſophiſmatis defenſetur.

133. Ad confirmationem valeant eadem quæ dicta ſunt, quibus ad exuberantiam adjungimus, abſque logica non poſſe quidem commodè ſophiſmata diſſolvi, ſed tamen poſſe benè cognoſci: ut autem quis à ſcientia non turbetur, ſatis eſt advertere quòd contraria argumenta ſint ſophiſtica: neque enim puerilia quædam terriculamenta impedire poſſunt, quominùs veritati ſeſe clariſſimè offerenti, aut pleniſſimè probatæ aſſenſum præbeam; ſicut nec impedire Dionyſium potuerunt

Po-

Polyxeni Dialectici ratiocinia, quominus immotus in ſua opinione perſiſteret: imò illi audactèr, teſte Plutarcho *in reg. apoph.* dicenti: Ego te convinco: *Nimirùm verbis*, inquit, *at ego te reipsâ, qui tuis relictis, me meaq; colas.*

134. Hinc etiam fertur, cuidam otiosè arguenti: *Quod ego ſum, tu non es; ſed ego ſum homo; ergo tu non es homo*, Diogenem ridẽdo dixiſſe: *A me incipe, & benè colliges:* ſimilitèr Zenoni motum omnem variis argumentationum circuitibus oppugnare contendenti; motu ipſo, nempè ambulando & tacendo reſpondiſſe; & Diodori contra eundem motum arguentis ità: *Quicquid movetur, aut movetur in loco in quo eſt, aut in quo non eſt? non in quo eſt, quia ibi manet; nec in quo non eſt, quia ibi nec agere nec pati poteſt; ergo nihil movetur*; Lepidè irriſit argutias eodem facto dilemmate Herofilus Medicus, ab eo rogatus ut luxatum humerum priſtino loco reſtitueret, dicens: Aut emotus fuit humerus, quo loco erat, aut quo non erat; neutrum autem contingere potuit; igitur motus non fuit. Sic rem teſtatam nobis reliquit Empiricus

cus; & Gaſſendus de quodam ruſtico, qui filium ex ſtudiis dialectices redeuntem, artisque ſuæ periculum facere volentem exceperat, hæc refert (paulò quidem alitèr ac retulerat Laurentius Beyerlinck *tom.4. pag. mihi 1056.*) Juſſerat ipſi Pater ut ſex ova ſorbilia pararet, duo ſibi, duo matri, duo ipſi: apparavit ille ſolùm tria. Roganti Patri cur ſex non coxiſſet, Nonnè, inquit, cocta ſunt ſex? Quomodo tandem, inquit Pater: ego enim video tantùm tria: An non, pergit adoleſcens ova numerando, hic ſunt unum, duo, & tria? porrò unum, duo, & tria ſimùl juncta faciunt ſex. Tum demùm Pater: Optimè tu quidem fili: ego igitur accipiam duo, mater tua habebit unum; reliquis tribus tu fruere.

135. Lepidius aliud ſophisma adducit idem Laurentius de quodam Corace Syracuſò, qui cùm rhetoricam artem mercede profiteretur, cum eo adoleſcens quidam Tiſias hac lege pactus eſt, ut dimidium jam tunc daret: reliquum dimidium tum ſolveret quo die primam cauſam apud Judices oraſſet, & viciſſet. Verùm ubi

ubi arte jam cognitâ, præmium jam cunctaretur, neque cauſas reciperet, Corax in Jus diſcipulum vocat. Ibi Juvenis hujusmodi dilemma proponit, percontando, quis eſſet artis finis? Ubi Corax reſpondiſſet, Perſuadere dicendo: Age, inquit, ſi perſuadeo Judicibus me nihil debere, non reddam, quia vici cauſam: ſin minus perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. At Corax verſutias ridens, nihilominùs pecuniam repetebat; nullisque licèt Elenchorum regulis adjutus, naturali lumine, factum dilemma tanquàm vitioſum agnovit, & in diſcipulum torſit, dicens: Immò ſi perſuades, mercedem dabis, quia tenes artem, & debes ex pacto; ſi minus, dabis ex ſententiis Iudicum damnatus.

CAP. XIII.

De Logicæ vulgaris vanitate.

Sit *ultima propoſitio*. Logica ex Ariſtotele vulgò tradita, ad comparandas ſcientias eſt inutilis.

136. Alie-

136. Aliena eſt quidem Propoſitio à ſenſu communi, ſed multis oſtenditur conſona veritati. Utque nec ſuffragiis eam omninò carere perſpicuum fiat, paucos ex gravioribus antiquorum Doctorum referam. Tertullianus imprimis *lib. de Præſcriptionibus adverſus hæreticos*, Ariſtoteleorum Dialecticam improbat, & injuriis afficit, dicens: *Miſerum Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem, operoſam contentionum, &c.* Secundò Hieronymus ſuper illud Pauli *ad Titum cap. 3. Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones & pugnas, quæ veniunt ex lege devita*, ſic inquit: *Dialectici, quorum Ariſtoteles Princeps eſt, ſolent argumentationum retia tendere, & vagam Rhetoricæ libertatem in ſyllogiſmorum ſpineta concludere. Hi ergo qui in eo totos dies & noctes terunt, ut vel interrogent vel reſpondeant, vel dent propoſitionem vel accipiant, aſſumant, confirment, atque concludant, quoſdam contentioſos vocant, qui ut libet non ratione, ſed ſtomacho diſputent litigantium.* Tertiò ſimiliter Theodoretus Cyri Epiſco-

ſcopus, qui citato jam *lib.4. cap. 26.* Ariſtotelis ſyllogiſmos quodammodò idoneos fecerat ad diſputandum; libro deinde *de religioſa hiſtoria cap.27.* eoſdem ſyllogiſmos, ad quos tota ferè Ariſtotelis reducitur Logica, damnare videtur. Ità enim de Barradato loquitur: *Jam verò mentis intelligentiâ præſtans, optimè interrogat, reſpondet, rectiùsque interdùm ac potentiùs argumentatur, quàm qui in Ariſtotelicis labyrinthis verſati ſunt.*

137. Hinc eſt quod cùm Dialectici & Sophiſtæ plurimi ex ipſis Peripateticis ad Nicænam Synodum confluxerint, ſive Arianis ſive Orthodoxis patrocinari parati: unum præ cæteris ambitioſiorem & impudentiorem, cùm cavillis ſuis omnes ſuperaret, tandem à bono quodam ſene Spyridone Epiſcopo Trimethuntis Cypri, provocatum & victum, in hæc verba prorupiſſe refert Socrates *lib. 1. cap. 8.* & Sozom. *lib. 1. cap. 18. Quantum intereſt de rebus nudis abſque ullo fuco diſputare, & inanibus logomachiis tempus terere!*

138. Mitto Senecam *epiſt.*48. ubi unum ex captioſis ſyllogiſmis ſive fallaciis, qui-

bus vulgaris abundat Dialectica,in exemplum afferens, videlicet, *Mus ſyllaba eſt; ſyllaba caſeum non rodit; Mus ergo caſeum non rodit*; exclamat: *O pueriles ineptias! In hoc ſupercilia ſubduximus? In hoc barbam demiſimus? Hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi?* Ut denique tacere voluerim Demonacem egregium philoſophum, qui Dialecticos ſui temporis,nimirùm Peripateticos quotidiè irridebat, & moleſtiſſimè patiebatur, ut aliquando,teſte Eraſmo *lib.8. Apopht.*in Herminum Peripateticum,qui ſẽper in ore habebat decem Ariſtotelis Categorias, ità luſerit: *Equidem arbitror Hermine,te nõ indignum decem Categoriis*, hoc eſt Accuſationibus. Atque hæc ſit prima probatio ab authoritate.

139. Probatur ſecundò Propoſitio ratione. Eatenùs vulgaris Logica eſſet utilis, quatenùs tradit modum definiendi, dividendi,& argumentandi; ſed iſti modi, ad cognoſcendas rerum veritates ut ſunt in ſe, nullo pacto deſerviunt; ergo neque ad eundem finem deſervit logica. Major eſt Adverſariorum,qui Definitionem,Diviſio-

viſionem, & Argumentationem, *Modos ſciendi* appellant. Minor probatur: ut enim quis definiat, debet antea ſcire eſſentiam rei; & ut dividat, debet priùs noſse ejus partes: ſimiliter ut unum ex alio inferat, debet materialem eorum connexionem præcognoſcere. Atqui cognitâ eſſentiâ, partibus, & materiali connexione, noſcuntur rerum veritates ut ſunt in ſe; igitur modus definiendi, dividendi, & argumentandi ad dictum finem nullatenus deſervit. Confirmatur, nam obtento jam fine, inutilis eſt electio mediorum: quinimò aſſumere media, ubi opus eſt anteà finem propoſitum haberi, quàm media ejuſmodi poſſint applicari, delirium eſt: perindè enim foret ac ſi roganti mihi amicum ut equum commodet pergendi gratiâ Neapolim, reſponderet & diceret: Amice, equus meus in Partenopęis paſcuis reperitur: Vade ergo illùc, & accipe: Quaſi verò completo itinere, egeam ampliùs equo ad idem conficiendum. Sic autem ſe habet definitio, diviſio, &c. circa finem acquirendæ cognitionis rerum; igitur, &c.

140. Declaratur argumentum per par-

tes ſingulas. Et quod primò attinet ad Definitionem, argumentor ſic. Nullum poſterius poteſt juvare ad acquiſitionem prioris; ſed modus definiendi eſt poſterior cognitione eſſentiæ; ergo nequit juvare ad cognoſcendam eſsentiam rerum ut ſunt in ſe. Major patet ex terminis, quia non oportet iterùm acquiri, quod ſupponitur ſemèl acquiſitum. Minor probatur, quia logicus non intendit rei eſſentiam aptare definitioni, ſed definitionem eſſentiæ rerum; igitur definiendi modus poſterior eſt cognitione eſſentiæ.

141. Argumentor iterùm. Ideò definitio eſſet modus ſciendi, quia eſſet oratio ignoti manifeſtativa; ſed eſſentia rei quæ eſt manifeſtanda, ſupponitur notiſſima; igitur definitio non eſt modus ſciendi. Probo minorem: omnis definitio ſupponit cognitionem generis proximi & differentiæ ultimæ, ex quibus conſtare debet; ſed complexum ex genere proximo & differentia ultima, eſt ipſa rei eſſentia; ergo rei eſſentia, quæ eſſet per definitionem manifeſtanda, ſupponitur notiſſima. Nec valet dicere, quòd eſſentia conſtituatur etiam

ex

ex generibus remotis, & differentiis primis. Tum quia genus proximum includit remota, & differentiæ ultimæ includunt primas;tum etiam quia ut diſcernas quodnam ex generibus ſit proximum, & quænam ex differentiis ſit ultima, omnia certè præcognoſcenda ſunt; tum demùm quia genera iſta remota, & tuæ hujuſmodi differentiæ primæ non cognoſcuntur per logicam, ſed aliâ viâ cognitæ ſupponi debent: neque enim ſcio hominem eſſe ſubſtantiam, corpus, animatum, &c. vel eſſe riſivum, ſociabile, &c. per definitionis præcepta. Igitur rei cujuslibet eſſentia ſupponi debet completè nota ante ejus definitionem.

142. Argumentor denique ſtrictiori dilemmate. Vel ſcimus definitionem à parte rei competere definito, vel neſcimus? Si ſcimus, ergo hoc ipſo ſcimus definitum ejuſque eſſentiam, independenter à definitionis beneficio. Si neſcimus, ergo ſemper dubitare poſſumus, nùm ſit talis an alia eſſentia definiti; vel ſummùm credimus eſſe talem, propter dictum Definientis; atque adeò definitio non erit

modus ſciendi, ſed credendi aut opinandi.

143. Declaratur ſecundò idem argumentum circa Diviſionem. Ut ex partibus dividentibus colligamus totum diviſum, neceſſum eſt antea ſcire, ſi hujuſmodi ſint reverà partes illius, & quòd nec plures habeat nec pauciores; ergo antecedenter ad diviſionem conſtat ipſum diviſum. Confirmatur: dum dividis Subſtantiam v.g. in Corpoream & Spiritualem, vel cognoſcis hanc diviſionem eſſe legitimam, vel non? Si hoc ſecundum; ergo cum dubites de bonitate diviſionis, dubitas de veritate diviſi; proindeque diviſio non erit modus ſciendi, ſed ignorandi. Si autem primum dicas; Rogo, unde ſcis eam diviſionem eſſe bonam ac legitimam? Non ſanè ex ipſis terminis, cùm non ſit propoſitio per ſe nota, ac nobis quodammodo implantata; ergo quia notum tibi eſt aliundè, tales eſſe & non alias ſubſtantiæ differentias, eaſque invicem oppoſitas, ſui generis immediatè contractivas, totam ipſam ſubſtantiam adæquantes, &c. Igitur nil ignotum vi logi-

gi-

gicalis diviſionis de novo manifeſtatur, ut intendebam.

144. Tertiò declaratur de Argumentatione ſic. Forma argumentandi eatenùs habet vim benè concludendi, quatenùs præmiſſæ objectivæ ſunt connexæ cum conſequenti, ſive quatenus duo extrema in concluſione conjungenda, erant in præmiſſis cum Tertio unita; alioqui in omni materia etiam falſa per ſe benè concluderet. Ad cognoſcendam autem objectivam & materialem rerum ut ſunt in ſe connexionem, impertinens eſt logica, & potiùs recurrendum videtur ad experientiam, ni dicamus eas per fidem, non per ſcientiam cognitum iri.

145. Colliges Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem eſſe potiùs modos loquendi, quàm ſciendi. Etenim præter ea quæ dicta ſunt, definitio in ſe non eſt aliud quam res diffinita, ut concedunt adverſarii, & in terminis habet eorum Philoſophus 7. *Topic. cap.* 2. Quare dum probo Petrum eſſe hominem, quia eſt animal rationale, quoad rem ipſam probo eſſe hominem quia eſt homo; ſo-

lùmque, ſi quod aliud eſt diſcrimen, ſeſe tenet ex parte modi declarandi & exprimendi, ſeu loquendi. Sed nec etiam claritas & expreſſio habetur ſemper & apud omnes, ſed tantùm apud eruditos, atque in idiomate uno convenientes: v.g. quòd hæc hominis definitio, videlicet *Eſt animal rationale* ſit clarior definito, non eſt verum apud Græcos, Chaldæos, Ægiptios, cæteraſve alias nationes, neque etiam apud idiotas, vocum poteſtatem minimè intelligentes; ſed apud Latinos dumtaxat aut Italos, eoſque in idiomate peritos. Simile quiddam adjungi poteſt de diviſione præſertim hominis, & de argumentatione materiæ ſaltem contingentis, in qua probatur idem per idem, prout noſtrorum conſcius principiorum facilè percipiet. Certiùs idipſum ſentimus de æquipollentia; quæ, ſi attentè conſideraverimus, eſt conſequentia quædam ſecundùm vocem tantùm, non autem ſecundùm rem: quoniam procedit à propoſitione importante idem prorsùs cum concluſione, licèt ſub aliis terminis. Denique omnes & ſingulæ, uno verbo dixerim,

rim, Dialecticæ partes in vocibus conſiſtunt,reique cognitionem præſupponunt: ut meritò illam vulgò *Logicam*, nempè,ut explicant, ſermocinatricem facultatem appellaverint, & non pauci ejuſdem profeſſores, ſeu veriùs omnes, *Nominales* dici meruerint.

146. Colliges etiam, quod eòdem recidit, Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem, totamque ſubindè vulgarem logicam inſervire Magiſtris ad docendum diſcipulos, non autem ſtudioſis ad acquirendas ſcientias. Equidem illis prodeſt congruus loquendi modus, ut prænota & præconcepta communicent, ordinatâque methodo lectionem diſponant, non valentes internos conceptus mentis aliis exprimere, niſi per ſigna exteriora:ſicut à pari equus,quem *num.*139. in exemplum adduximus, eſt aptus dumtaxat mediumque idoneum ad redeundum è loco ad quem ſum perrecturus, non autem ad eò pergendum. Sed verò advertendum eſt, quòd ſi eis quæ Præceptor docet, etiam dato quòd vera ſint, Auditor acquieverit, non propterea erit

ſciens,

ſciens, ſed tantùm credens ex fide humana, niſi proprio marte & labore eadem perpenderit, reſque ipſas, num ita verè ſint ut à magiſtro didicit, conſuluerit; illud interim ſuo magiſtro beneficium debens, quòd occaſionem & motivum præbuerit, ſpecieſque excitârit ad inquirendum & ſcrutandum ea quæ naturalitèr ignorabat, vel ſolo, quod idem eſt, auditu ſciebat.

Sic ergo ſolutus eſt funiculus ille triplex, qui ad fatendam dialecticæ utilitatem tyronum animos obſtringere ſolet. Ut autem idem penitùs diſrumpatur, & logicæ vanitas evidentiùs cõmonſtretur,

147. Probo 3. Propoſitionem. Regulæ logicales definiendi, dividendi, & argumentandi, nec ſufficiunt, nec requiruntur ad rei eſſentiam aut partes vel paſſiones ut ſunt in ſe, actù manifeſtandas, ſeu reſpectivè colligendas; ergo nec logica quæ illis utitur, ullo modo ad talem finem proficua eſt. Prima pars antecedentis probatur primò inductione & exẽplis: nam ad cognoſcendam naturam Solis v. g. neceſſum eſt uti ſenſibus, opticiſque

ciſque inſtrumentis ipſos adjuvantibus, quibus videlicèt percipiam magnitudinem, figuram, ſplendorem, &c. item ad diſtribuendum in ſuas integrantes partes humanum corpus, ad Anatome recurrendum eſt: denique ut ex aliquo corporis ſymptomate inferam ſecuturam mortem, medicos conſulere oportet; evidens ergo eſt, nuda illa ac jejuna Dialecticæ præcepta, ad hujuſmodi comparandam notitiam non ſufficere. Secundò probatur ab abſurdo, quia ſi præfatæ regulæ ſufficientes forent, non expediret aliis ſcientiis & artibus operam navare, cùm poſſemus omniſcii evadere, ſolo Logicæ ſtudio. Tertiò, quia in materia dubia, & inter utramque partem controverſa, putà in materia principiorum naturalium, unuſquiſque conficit definitionem, & diviſionem ſuam, & quilibet proprietates paſſioneſque per argumentationem colligit, juxta regulas ſummuliſticas: v.g. Peripateticus definit Materiam, Formam, & Privationem; Democritus Atomos, immò uterque per genus & differentiam, perque verba perſpicua & quàm pauciſſima; & ni-

& nihilominùs uter horum verum dicat, adhùc neſcimus. Igitur regulæ prædictæ ad rei veritatem aſſequendam haud ſatis ſunt.

148. Probatur jam altera pars antecedentis: nam certè ego putaverim perfectum Chimicum abſolutiſſimas auri & ignis definitiones confecturum; & Architectum membra omnia domûs convenientiſſimè deſignaturum; necnon peritum Nautam ex ſignis quibusdam aëris illaturum imminentem procellam, magis quàm nos qui diù Logicæ ſtudiis inſudavimus,& tempus in his nugis ac philacteriis trivimus: quare &c.

149. Dices, Chimicum, Architectum, &c. meliùs utique definituros, diviſuros &c. ſi fuerint in logicâ periti, quàm ubi ſunt ejusdem ignari. Sed contrà peto: logicæ peritia vel conferret ad primò detegendas naturas parteſve illarum rerum, vel poſtquam ſupponuntur detectæ & revelatæ? Si dicas primum, recurrunt argumenta hactenùs facta,quibus oſtenſum eſt regulas definiendi,dividendi,&c. eſſe poſteriores notitiâ rerum; quin totam logicam,

cam, quæ magnificis paſsim verbis adoleſcentulos illicit promiſſione veritatis, in panis deindè,ut ſic dicam,fractione,ad ipſam veritatem aliundè inveſtigandam nos remittere:non ſecùs ac qui inventionem theſauri per dies & annos pollicitus, Fodi demùm diceret, ubi reconditus ſit, & ſtatim reperies. Si verò alterum afferas, regularum illarum futilitatem fatearis neceſſe eſt: nam uti diximus *num.* 139. quorsùm quæſo media, cùm finis eſt jam obtentus? At quoniam adhuc hæſitantem te video, ut altiùs quod docuimus tibi perſuadeas,

160. Probo 4. Propoſitionem hoc diſcurſu. Res quarum cognitionem inquirimus, aut ſunt nobis perviæ,ſive immediatè,ſive ratione ſuorum effectuum; aut ſunt abditæ & remotæ. Si primum, nullo ſanè alio medio ad eas cognoſcendas indigemus,niſi naturali rationis ductu,rebusque ipſis ſive earum effectis, quæ ſunt velut litteræ & notæ, quibus ad rerum qualitates perlegendas, ſatis inſtruimur: v. g. ad cognoſcendum ignem eſſe calidum, calor ipſe in nos agens,id ſatis docet:quod quidèm

dèm facilè oſtendo paritate,nam cùm definis v.g. hominem,*eſſe animal rationale*, quis,quæſo, fuit Magiſter docens ita eſſe definiendum,talemque re verà eſſe hominis naturam & quidditatem? Hujus equidèm Præceptorem alium nõ extitiſſe opinor, quàm hominem ipſum ut eſt in ſe,indicantem quid ipſe ſit, medio dictamine ſuorum motuum & actionum. Sic ergo ſimilitèr, quæ ſint rerum aliarum naturæ, nulli profectò alii nos,quàm res ipſæ cum ſuis motibus & actionibus, docuere, & quotidie docent, dialecticarum haud indigæ regularum.

161. Immò nonnumquam in id genus caſibus præceptorum multitudine obruitur potiùs mens quàm juvatur; faciliùsque absque regulis, quàm cum eisdem habetur cognitio rei: prout docuit Theodoretus *num.* 136. laudatus, appoſitâque paritate notat Auguſtinus *lib. 2. de doct. Chriſt.cap.37. Si quiſpiam*,inquit, *dare volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe cuiquam levandum pedem poſteriorem, niſi cùm poſuerit priorem: deindè minutatim quemadmodùm articulorum & poplitum*

car-

cardines oporteat moveri, deſcribat: verã dicit, nec alitèr ambulari poteſt; ſed faciliùs homines hoc faciendo ambulant, quàm animadverterunt cùm faciunt.

162. Si verò res ſint remotæ & occultæ; parùm juvabit logicæ peripateticæ ſtudium, ad eas è naturæ latibulis eruendas, ut conſtabit examinanti ſingulas ejus partes. Numquid enim ſufficiet noſſe quid ſit Terminus aut Suppoſitio, Ampliatio aut Reſtrictio, Aſcenſus vel Deſcenſus, Exponentesque aut Exponibiles propoſitiones, ad penetrandas inſenſiles Planetarum influentias, Oceani fluxum & refluxum, ac ſimilia! Ecquid, obſecro per tuam fidem, Figurarum modi, Vniverſalium prædicatio, Prædicamentorum ſeries, Antiprædicamentorum regulæ, Chimerici entis objicibilitas, Converſionum tricæ, æquipollentiarum apinæ, Reductionum quiſquiliæ, Priorum Poſteriorumque farragines, quæ venerabile Philoſophi nomen, ignominioſum reddiderunt; ac denique *Amfractuoſa dogmata* (ut verbis utar Ludovici Clicthovei in ſermone de Beato Thoma Aquinate) *captiunculas, fallacias, paralo-*

logiſmos ubertim eructantia; *quæ in Lyceis habentur in pretio, diurnâque pariter & nocturnâ verſantur manu*? Quid hæc, inquã, valent ad cognoſcendas sympaticas qualitates, herbarum lapidumque virtutes, aliaque naturæ arcana, quorum notitia potiùs ab experientia, quàm à vocum diſcuſſionibus petenda eſt? Quid? Quod hujusmodi, veniâ dixerim, occupationes peſſimæ nobiles morentur animos; pedicisque veluti illaqueent & impediant, ne melioribus curis occupentur, ſcientiarumque curſum perficiant, breviùs certè ac tutiùs absque logica, quàm cum logica illum abſoluturi? Vnde dicere Cleanthes Philoſophus (referente Bob. *ſerm.* 80.) meritò conſueverat, ideò veteres in ſcientiis naturalibus clariores evaſiſse, quia tempus, quod verbis dialecticis impendere debebant, quemadmodùm impendimus nos, impendebant experientiæ.

163. Vna forſitan logicæ tractatio, quæ eſt de arte inveniendi in omni materia medium terminum, ſubſidium aliquod humanis ingeniis conferre videretur, quatenùs ea largiſſimè ſpondet, quæ unicuique ſcien-

ſcientiæ acquirendæ aut ſolidandæ ferè ſufficerent. At verò imprimis, re benè viſâ,docet logica dumtaxat quale debeat eſſe ad probandas propoſitiones medium, non autem oſtendit ex quo fonte media hujusmodi deſumenda ſint,putà an ab experientia,an à cauſis vel effectibus, à contrariis,à ſimilibus,à circumſtantiis, ab authoritate &c. ut fortè neceſſum eſſet, expectaſſentque diſcipuli ; imò cùm ad hæc loca Topica aſſignanda devenitur,ad Rhetores remittimur : quaſi verò quod bono frugi utcumque eſt, oporteat omninò eſſe alienum à logica, cujus ſola inutilia propria ſint. Deindè adeò obſcuris & difficilibus ars prædicta implicatur regulis, ut, jure an injuriâ, appellaretur in ſcholis *Pons aſinorum*;niſi aliàs (abſit tamen) cum Illuſtriſſimo Stephano Spinula peripatetico *Inſtitut.par.3.cap.16.* ſive veriùs,ut ait, cum ejusdem Magiſtro inverecundiùs dicere maluerimus, hoc nomen ideò ſortitam eſſe, quod ſoli aſini per id medium incedant, ſive ſoli hebetes & inſani artem illam colant, in eaque apprehendenda & exercenda moram faciant.

164. Confirmantur hæc omnia robuſtiùs primò, quia plurima ex indicatis logicæ vulgaris pręceptis, falſum continent, ut nos propriis quibusque locis oſtenſuros promittimus. Igitur nulla erit aut ſummùm ambigua veritas ex illis deducenda. Cùm enim malum ſit à quocumque defectu; vel uno in dictis regulis errore deprehenſo, tota nutabit diſcipulorum fides.

Dionyſ. lib. 3. de divin. nomin. & D. Tho. 3. p. qu. 1. art. 1.

165. Secundò à poſteriori, quia pleraque dicta Logicæ præcepta, quæ in ſcholis diſcimus, uſui poſtea, ex illis vix egreſſi, nequaquam demandamus: quis enim unquam, ut teſtatur Petrus Gaſſendus, aut in bonis artibus capeſſendis, aut in cauſis perorandis, aut in ægrotis curandis, aut in populis exhortandis, aut in legationibus fungēdis, aut universè in agendis rebus hujusmodi ambagibus uſus eſt? Quis item vel inter arguтiſſimos diſputantes, qui meminiſſe poſſit, ac præſertim in fervore certaminis, myſteriorum illorum logicalium, putà Converſionis per contrapoſitionem, Reductionis per impoſſibile, ac ſimilium? Certè verò (inquit P. Maignan *cap. 8. Philoſ. Ratioc. num. 18.*)

exi-

eximium eſt & mirum Reductionis artificium; non tamen memini me illud aliquando ſive in ſcholis ſive alibi uſurpatum vidiſſe. Quodque mirandum eſt, ipſummet Ariſtotelem, qui mundo veluti perdito ſuccurriſſe gloriatur inventione artis ſyllogiſticæ, vix ſyllogiſticâ formâ uſum, ſed doctrinali tantùm methodo in ſuis operibus reperies. Signum idcircò eſt, aut ipſum malè ſe geſſiſſe ſcribendo; aut ludere nos voluiſſe, inania pro neceſſariis, & theorica tantùm pro practicis præcepta venditando.

166. Tertiò etiam à poſteriori confirmantur prædicta: quia de facto uſus iſte rigidiſſimus Logicæ non impedivit Scholaſticorum, apud quos viguit, errores paſſim occurrentes: argumentum eſt igitur ejus regulas aut eſſe fallaces, aut ad veritatem obtinendam prorſus inutiles. Patet conſequentia, nam ſcimus quòd qui ſervant Euclidis regulas & elementa, quique ad praxim reducunt ſimplices Hippocratis aphoriſmos, finem ab ipſis intentum plerumque obtinent: ſimiliter qui colunt Dei mandata, virtuteſque mora-

les, utpotè media ad æternam ſalutem exquiſita, infallibiliter illam conſequuntur: et ſi eodem modo colant, eundem gloriæ gradum æqualiter ſuſcipiunt. Cùm autem multi unius Logicæ leges eodem ſervent modo, & nihilominus in oppoſitas diſciſſi ſint ſententias; evidens eſt, eſſe media aut penitùs fallacia, aut ad minùs inutilia.

CAP. XIV.

Elucidantur magis dicta argumentis contrariis.

167. ARgues primùm. Corpus noſtræ logicæ magna ex parte conſtat Ariſtotelicis præceptis aut quæſtionibus, quæ in ſcholis tradi vel reſpectivè agitari ſolent; ergo ſi illa logica eſt inutilis, neque noſtra utilis erit. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam: illa enim præcepta adducimus, ut ſtatim refellamus aut emen-

emendamus ; ex quæſtionibus autem aliquid ſemper contra vulgarem ſenſum, ſi benè obſervaveris, carpere licet : quare nihil concludit argumentum.

At inquies: non omnia vulgaris logicæ præcepta falſa ſunt, nec omnia à nobis refelluntur ; ergo ſaltem ſecundùm partem erit utilis. Fateor antecedens, & nego nihilominùs conſequentiam : nam ubi aliqua falſa convincuntur, probabile dubium ſuboriri debet de omnium falſitate, juxta regulam traditam *num.* 164.

168. Inquies iterùm. Si vulgarem logicam ut inutilem aſpernamur, quam aliam, quæſo, amplexuri erimus? Noſtra enim tota ferè impugnatio eſt, & ubi alienas fabricas demolimur, nulla penè ædificia propria ſtruimus.

Reſpondetur nullam nos urgere obligationem aſſignandi veram ac poſitivam logicam, ſicut nulla urgens eſt ejuſdem neceſſitas ad ſcientias. Præterea ut poteſt reprobari una ratio probativa concluſionis, abſque eo quòd alia verior aſſignetur ; ità poſſumus reprobare unam logicam, & fateri quòd alia non illuxerit.

At nos ſuperni Numinis gratiâ non tenent iſtæ anguſtiæ; nam præter varias logicas, quæ ultra Ariſtotelicam extiterunt, putà Carteſii, Gaſſendi, Bacconi, Campanellę, & Anonymi cujusdam ſub titulo *Artis cogitandi*, non unam aut alteram poſitivam regulam, ſed plurimas nos quoque invenimus & diſpoſuimus, conſiſtentes videlicet in præjudiciis vitandis, in ſenſuum regulis quibusdam adhibendis, in ſuffragiis hominum parùm curandis, in præviæ dubitationis, maturæque perpenſionis cõſilio pro judiciis ferendis, ac ſimilibus, uti ſparſim per totum opus, ac præſertim *lib.3.* videre licet. Quæ quidem regulæ cùm veritatis inventionem, ſcientiamque rerum perfectam antecedant, conducantque ad illam aſſequendam; non ſunt inutiles & fruſtraneæ ex eo capite, quo inutiles fruſtraneæque convictæ ſunt Ariſtotelis leges.

Addo exuberantiæ gratiâ, ipſasmet impugnationes communium regularum, eſſe optimas regulas; everſionemque ipſam eſſe conſtructionem. Cùm enim logica non ſit aliud quàm advertentia ſupra

er-

errores noſtræ mentis, & eorum occaſiones, ut sæpè diximus ; tunc ſanè regulas logicales fabricamus, cùm communia prajudicia detegimus, & Peripateticorum regulis fidendum non eſſe, cautum facimus.

169. Argues ſecundò. Peripateticorum leges verſantur potiſſimùm circa definitionem, diviſionem, & argumentationem; ſed hujusmodi nos recipimus; ergo, &c. Probatur minor tùm ex dictis *cap.* 19. *num.*89. ubi definitionem, diviſionem, & argumentationem adduximus pro exemplo operis logici ; tùm quia paſſim toto hoc opere definimus, dividimus, & argumenta in figura & modis Peripateticorum efformamus.

Reſpondetur primò, prædicta à nobis recipi prævio examine atque correctione. Secundò iis frequenter utimur ad hominem, utque armis alienis, juxta conſilium Spiritus Sancti præmiſſum *nu.*112. Tertiò eadem recipimus ut modos idoneos ad diſputandum & loquendum, ſive notitias præhabitas ordinatè communicandum; ſecùs ad ſimpliciter ſciendum, ex dictis

tota *Propoſitione 2. num.112.* & iterùm *nu.145.& 146.*

170. Inſtabis. Logica vulgaris utilis eſt ad diſputandum; ergo etiam ad ſciendum. Antecedens eſt conceſſum: conſequentia probatur, quia mutuâ ingeniorum exercitatione, veritas emergere & eluceſcere ſolet, juxta illud,

Abſtruſos ſilicum venis excudit ut ignes,
Crebrò hic cum ſaxis altera ſaxa ferit:
Sic altercando, dilucula ſemina Veri
Erumpunt latebris, proſiliuntque ſuis.

Reſpondetur negando conſequentiam. Non enim diffiteor, circulos & progymnasmata non minùs quàm calamum, ut ille dicebat, doctos nos poſſe efficere: attamen id mediatè & per accidens contingit: quod ex eo patet, quia ſive ea agantur more logico ſive academico, formâque peripateticâ aut uſitatâ colloquendi methodo, idem ex illis fructus colligetur. Confirmat hoc totum ipſa Adverſarii ſimilitudo: calybs enim non eſt cauſa per ſe productiva ignis, cùm ignem nec formaliter nec eminenter contineat, ut in phyſicis docuimus; ſed veluti per accidẽs, ipſum

ipſum ſcilicet è lapide, in quo formaliter latitabat, educendo. Haud diſſimili modo circulis excitantur ſopitæ ſpecies. Accedit quòd unus alteri, mediâ collatione ac diſputatione, indicat notiones ſuas, & utrorumque animales ſpiritus, veluti ad pugnam acciti, vividius ac promptius animæ per ſenſus operanti, exhibent miniſterium: quamobrem diſceptandi exercitium qualecumque, utile erit ad ſcientias ut mera occaſio.

171. Argues 3. Logica quæ in ſcholis traditur, eſt fortiſſimum præſidium adverſus hæreticos; ergo non eſt contemnenda, & æſtimanda ut ſimpliciter inutilis. Antecedens eſt S. Hieronymi *in Commentario ſuper Ezechiel.* ubi ait: *Quicquid in hoc ſæculo perverſorum dogmatum eſt & putatur robuſtum, hâc Dialectica arte ſubvertitur.*

Reſpondetur primò retorquendo argumentum in adverſarios: Logica quæ in ſcholis traditur, eſt præcipuum adversùs Catholicos inſtrumentum hæreticorum, qui, ut teſtatur S. Ambroſius, habeturque *Can. Omnem, diſt.* 37. *omnem vim invento-*

rum

rum ſuorum in Dialectica diſputantes ponunt : eamdemque inſuper matrem eſſe plurimorum errorum, monet S. Antoninus *in Sum. par. 4. t. 11. cap.* 4. ubi variis numeratis erroribus, ſubdit : *Multa aliæ hæreſes pro majori parte non forent, ſi Philoſophia ſæculi non vociferaret in ſcholis* . Præterea quis ignorat Logicam Auguſtini Eccleſiam Dei adeò torſiſſe , ut oportuerit publicas poſtulationes fieri, ut ab ea Catholici liberarentur ? Porphyrii quoque & Arii aliorumque hæreticorum Logicam, tamquam orthodoxæ religioni infeſtam, Patres & agnoverunt & damnârunt . Igitur hac ex parte videtur lapis offenſionis & petra ſcandali , tantùm abeſt quòd lapis Lydius ab Aletino laudato à nobis *num.* 131. cenſeri debeat.

172. Reſpondetur ſecundò omiſſo antecedente, diſtinguo conſequens: non eſt ſimplicitèr inutilis quantùm ad diſputationem , & veritatis quam jam tenemus , defenſionem, concedo conſequentiam; ad ſcientiam, & veritatis ipſius primam adeptionem, nego conſequentiam. Diſtinctio ſæpiùs repetita eſt, mirumque in modum

qua-

quadrat ad propoſitum: valent enim plurimùm ſyllogiſticæ regulæ ad diſſolvenda hæreticorum ſophiſmata, retorquendaq; in ipſos eadem arma, quibus nos impetunt, juxta notata *n.* 112. ut ità verum fiat quod dictum eſt per Prophetam, *Pſ.* 9. *verſ.* 16. *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*: quod de gentilibus & hæreticis in ſuo mendacio confuſis accipit Jacobus de Valentia, quodque unicè & non aliud voluit Hieronymus *in comment.* nobis objecto. Cæterùm ut iidem noſtri inimici, Myſteriorum veritatem re ipsâ agnoſcant, & poſitivè ad Eccleſiam reducantur, impertinentem eſſe & improprium omnem Dialecticæ uſum, docet idem Sanctus Doctor *epiſt.* 62. adversùs Joannem Jeroſolymitanum, his verbis: *Fidei pura & aperta confeſſio, non quærit ſtrophas & argumenta verborum: quod ſimpliciter creditur, ſimpliciter confitendum eſt.* Et alibi contra Luciferianos: *Oro te, ut Philoſophorum argumentatione poſitâ, chriſtianâ mecum ſimplicitate loquaris, ſi tamen Dialecticos non ſequeris, ſed Piſcatores.* Ratioque eſt, quia logicales

ar-

argutiæ veluti malæ cauſæ ſuſpicionem inducunt, quatenùs occaſionem præbent opinandi, rationes noſtræ Sanctæ Religionis ex ſe quidem invictiſſimas, niſi artificiis quibuſdam apparentibus concinnentur, infirmas eſſe.

173. Et ſanè cùm mendacium conjunctas plerumque habeat verſutias multas; vix hæretici capi aut revinci ſinunt, quin promptas fugas & cuniculos, ubi videntur comprehenſi, arripiant & quærant, ac quò voluerint ſeſe transferant, non ſecus ac aër vel aqua ubi rete conſtricta putantur, evaneſcunt: unde Picus de Mirandula *lib. 1. de ſtud. divin. & human. phil.* *Ego,* inquit, *ut de me fatear, nunquàm legi, nec arbitror invenitur qui legerit, ullum unquam hæreticum vi aut Logicæ devictum, aut Rhetorices perſuaſum, hæreſim abjuraſſe: itaùt in ipſo diſputationis conflictu manus dederit, & mutaverit ſententiam.* Quamobrem ſpretis artibus logicalibus, plana via reducendi ad veram fidem hoſtes prædictos, erit primò imploratio divini auxilii, & probitas vitæ; ſecundò cognitio plena Scripturarum & Traditionum;

num; tertiò demùm exacta notitia Conciliorum,& Doctrinæ Sanctorum Patrum, necnon peritia univerſæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: quærereque aliis mediis ſalutem hæreticorum, eſt texere telas aranearum.

LIBER II.

DE MENTIS HUMANÆ Functionibus.

IN præliminaribus quæſtionibus diutiùs immorati ſumus. Ad ipſius jam Rationalis philoſophiæ partes calamum vireſque convertamus: quæ cùm tota ſit in dirigendis inſtituendisve, ut pluries diximus, mentis noſtræ functionibus;dignum imprimis eſt, earum naturam & numerum, tùm earumdem geneſim, vitia, & fontes ipſorum, aliquantò latiùs quàm Scholaſtici conſueverint,explicare. Etſi enim id munus magna ex parte Animaſticæ debeatur facultati;idem etiam nos hìc aſſumere, & quod ad pauca ſaltem pertinet, pro viribus explere, neceſſitas extrema compellit: quandoquidem ignoto fine, impertinens eſt aſſumptio mediorum, & fruſtrà remedium eligitur, ubi ægroti tem-

temperies, vel morbi ipſius qualitas occultatur. Illud quoque candidè monere non prætermittimus, præſenti de mentalibus actionibus tractatui, qui primũ forſan operis totius locum expoſtulabat, quippè cujus ignorantia obſcurum faceret quicquid ſcriptum eſt, aut ſcribi contigerit, hanc alteram ſedem ideò ſtatutam eſſe, ut prima veluti ſcientifici ædificii janua, juxta morem in aliis materiis uſitatiſſimum, Prolegomenis redderetur; unde uſurpare demùm liceat quod in ſimili dixit Hieronymus *lib. 1. comm. in Matth. Ordo præpoſterus, ſed neceſſariò cõmutatus.*

CAP. I.

Quid ſit operatio intellectus, & quotuplex.

1. OPerationum intellectûs nomine, accipimus hoc loco Cognitionem, quæ juxta diverſos ſui ordines & reſpectus, plura ac diverſa nomina ſortita eſt, nempè *Conceptus, Intentionis,* *Ima-*

Imaginis, *Speciei expreſſæ*, &c. *Conceptus* autem dicitur, quia eſt quidam veluti fœtus & proles, quam in ſuo ſinu concipit intellectus; *Intentio* verò, quoniam per eam mens intendit, ſeu, quod idem eſt, tẽdit in objectum propoſitum. *Imago* tandem ſpeciesque expreſſa nũcupatur, quatenùs repræſentat objectum tale quale eſt in ſe, aut ſicut apparet, atque ità mens illud exprimens, veluti penicillo depingit. Antonomaſticè tamen appellatur *Operatio*, qnia ſicuti Velle cenſetur propria operatio voluntatis, ità propria operatio intellectus Cognoſcere.

2. Definitur communiter operatio intellectus in genere: *Eſt actio ſpiritualis repræſentans objectum anteà ſenſibus externis perceptum*. Verùm definitio hæc non competit omnibus definitis: nam cognitiones angelicæ & divinæ ſunt verè & propriè intellectûs operationes; & nihilominùs eis non quadrant poſtrema definitionis verba: quamobrem demiramur P. Lallemandet *diſp.* 1. *partic.* 1. *clyp.* 3. in Averſæ definitionem invehi, quòd conveniat operationibus intellectûs Angelici;

ci; cùm ex hoc ipſo eam commendare, & propriam moderari debuiſſet.

3. Dices certè, id ſe optimo jure feciſſe, quia Logicus intendit agere de operationibus intellectus humani, quæ ſolæ directioni ſubiciuntur: hæ autem proculdubio ſupponunt perceptionem ſenſuum. At contra eſt, tum quia ordo doctrinæ poſtulat, ut priùs explicetur eſſentia rei in genere, & deindè deſcendatur ad ſpecies; tum quia ſenſuum perceptio eſt conditio quædam præſuppoſita, non autem pars intrinſecè conſtituens humanam intellectionem, quare nec debet ingredi definitionem, cujus eſt explicare eſſentiam rei; tum demùm quia falſum eſt, omnem noſtram cognitionem & ideam à ſenſibus dependere, ut facilè oſtendam *cap.* 5. per totum: unde ſublata remanebit omnis excuſatio, quâ bonus Author cum aliorùm adverſariorum turba ſe contegat.

4. Meliùs, ni fallor, deſcribitur operatio mentis in communi, quò omnibus & ſingulis ſpeciebus conveniat: *Eſt vitalis & ſpiritualis objecti repræſentatio*. Dicitur *Vitalis* ad differentiam imaginis pi-

ctæ aut inſculptæ: dicitur *Spiritualis* ad excludendas perceptiones ſenſuum ac brutorum: dicitur tandem *Repræſentatio*, ob rationem *num.* 1. indicatam, quia videlicet objectum quod cognoſcitur, veluti coloribus quibusdam ac pigmentis in intellectu depingitur, utque ita differat ab actibus voluntatis.

5. Porrò multis variisque modis poteſt mens objecta exprimere & repræſentare: primò quidem nudè ac ſimplicitèr, nihil affirmando aut negando de illo, & hæc operatio vocatur *Simplex apprehenſio*, ſive Idea & Intelligentia; ſecundò cum affirmatione aut negatione, & dicitur *Judicium*, eo quod objecto propoſito quodammodò jus dicat, ſeu prædicatum attribuat, deque eodem ſententiam ferat; tertiò itaut unum ex alio inferat, & appellatur *Diſcurſus*, metaphorâ deſumptâ ex curſu phyſico; nam ſicuti animal de uno loco ad alium migrat, ità mens de una cognitione ad aliam, vel ſanè de uno ad aliud objectum (juxtà dicenda *Part.* 2. *lib.* 5. circa diſcurſum formalem & virtualem) ſuo modo pergit. Aliis quoque mo-

modis poteſt ratio in objecta tendere, videlicet dubitando, optando, imperando, interrogando ; &c. de quibus non nihil infra.

6. Jam verò Simplex apprehenſio definitur ab Ariſtotele 3 *de anima tex.* 21. *Eſt indiviſibilium intellectio*: hanc nihilominùs definitionem recipiant qui hujus Philoſophi verbis ſingulis vel abſonis accommodare aures conſueverunt; nobis autem quos ratio magis quàm opinio aut affectio moderatur , eadem moleſtiſſimè ſonat, prout ſonare debet omnibus diſtinguentibus, ut decet, ſimplicem apprehenſionem Complexam ab Incomplexa: etſi enim hæc repræſentet objecta per modum unius rei indiviſibilis, illa tamen repræſentat objecta per modum plurium , hoc eſt cum ordine ad invicem. Quemadmodum ergo oculus videns vas aquâ plenum, & vas & aquam diſcernit; ità intellectus apprehendens , nec ſanè niſi ſimpliciter, hanc propoſitionem, *Plato eſt doctus*, & Platonem & doctrinam ut duo diſtincta , licèt mutuò conjuncta & coordinata, cognoſcit, nempè doctrinam ut in

Platone,& hunc ut habentem illam: unde de materiali ſe habet ad ſimplicem apprehenſionem ut ſic , quòd objectum ſit ſimplex aut compoſitum, unum vel plura, dummodò actu ſimplici cognoſcatur.

7. Et profectò (ut inclareſcat magis Ariſtotelis error , & ſuæ incohærentia doctrinæ) cùm judicium appelletur ibidem actus compoſitivus ſeu compoſitio, nonne debebat ex adverſo apprehenſionem *indiviſibilem* potiùs quàm *indiviſibilium* intellectionem appellare? Quemadmodùm namque nihil obeſt judicio ſimplicitas objecti, quotiès modo compoſitivo attingitur; ita non obeſt apprehenſioni objecti compoſitio, quotiès modo ſimplici repræſentatur, cùm contrariorum eadem ſit ratio.

8. Erues autem, corollarii loco , ex dictis manifeſtum diſcrimen inter ſimplicem apprehenſionem complexam & judicium. Licet enim complexa apprehenſio plura cum aliquo ordine repræſentet; hunc tamen ordinem in objecto non ponit, ſed præſupponit; ſecùs judicium: quare non tàm ex objecto diſtinctionem ſumunt,

munt, quàm ex modo tendendi in illud; longè ſiquidem aliud eſt ordinare objecta, aliud in ſeipſis ordinata cognoſcere; & aliud eſt conjungere vel dividere, aliud conjuncta vel diviſa contueri. Quod ſanè exemplo evidenter oſtenditur: ſi quis enim proferre auſus fuerit, *Deus eſt peccator*, eaque propoſitio à me audiatur, utique cognoſcentur hæc extrema conjuncta & ordinata, Deus ſcilicet & peccatum; non proptereà tamen à me ordinabuntur aut conjungentur: cujus rei ſignu eſt, quòd ſemel apprehensâ tali impiâ enuntiatione, prorumpam in oppoſitum, dicens: Deus nequaquam peccator eſt.

CAP. II.

Utrùm communis diviſio Operationis intellectus ritè ſuſtineatur.

9. Cùm intellectus humanus inter alios actus ſuperiùs recenſitos, triplici potiſſimùm motu circa

ſua objecta ferri videatur; tres tantummodò mentales operationes communiter diſtinguntur, Simplex apprehenſio, Judicium, & Diſcurſus, nullâ habitâ animadverſione, num bonæ in præfixis membris diviſionis leges impleantur. Nos quamquam ſcimus, non eſſe hanc rem tanti olei dignam diſpendio, eam nihilominùs contra Vulgus, cui paulò ſecùs quàm divinarum hypoſtaſum, virtutumve theologicarum, ternarius iſte numerus in cultu eſt, vel leviter verſare volumus: quatenùs hinc intelligere incipiamus, tunc nobis eſſe plerùmque de fraude aut errore dubitandum, cùm nullus penè de illis videtur dubitare.

Prima Propoſitio. Vitioſa eſt atque in multis peccans præfata partitio.

10. Probatur: ac primò quidem ut ſit bona diviſio, fieri debet in membra inter ſe diſtincta, & quorum unum in alio non includatur; unde ineptè diſtribueretur Tellus in Aſiam, Africam, Americam, Europam, & Italiam: item ſtultè divideretur Animal in Rationale, Irrationale, & Rugitivum, eo quòd hoc ſub Animali, & ſub

& ſub Europa Italia comprehenditur. Atqui Judicium ut ſic & Diſcurſus non ſunt membra inter ſe diſtincta, unumque in alio includitur; ergo, &c. Probo hanc minorem primò, quia Judicium eſt quoddam genus reſpectu Simplicis, & reſpectu Illativi, quod eſt idem ac diſcurſus; nullum autem genus diſtinguitur à ſua ſpecie, cùm illam inadæquatè conſtituat. Præterea Judicium non eſt aliud niſi actus affirmans vel negans; ſed Diſcurſus eſt etiam actus affirmans vel negans, quamvis dependenter ab alio; igitur continet omnia prædicata Judicii, & conſequentèr continetur ſub illo, non ſecus ac homo ſub animali. Denique diſcurſus non eſt niſi aggregatum ex duplici judicio, quorum unum ex alio deductum eſt; ergo eſt formaliſſimè judicium, proindeque ſub illo genericè ſumpto includitur.

11. Secundò ſuadetur Propoſitio: quia ad rectam diviſionem exigitur, ut fiat in membra immediata; at Diſcurſus non eſt membrum immediatum Operationis intellectûs ut ſic; igitur non rectè dividitur operatio intellectus ut ſic in ſimplicem

apprehenſionem, judicium, & diſcurſum. Major communitèr admittitur, & exemplis illuſtratur: ſi enim dividenda Tellus eſt, utique primùm facienda eſt diviſio in partes quatuor, ac deinceps ſingulæ in ſuas quaſque inferiores regiones ſubdividendæ ſunt: & quod dicitur de Toto actuali, dictum pariter puta de poteſtativo: Vivens verbi causâ, priùs dividendum eſt in Senſitivum & Non-ſenſitivum; & tùm ipſum Senſitivum ſubdividendum in Rationale & Irrationale, & ſic deinceps: Similiter Animal primo loco eſt ſecandum in Rationale & Irrationale, & ſtatìm Irrationale ipſum in Rugitivum, Hinnitivum, &c. Ratio: quia reſpectu Rationalis, Vivens non eſt genus proximum ſed remotum, ac proindè non immediatè contrahitur à Rationali, ſed immediatè à Senſitivo, & hoc mediante intelligitur contrahi à Rationali: idem dicito de Animali comparato ad Rugitivum, atque aliis conſimilibus. Minor autem probatur: eatenùs enim Rationale non eſt membrum immediatum Viventis, quatenùs inter Rationale & Vivens mediat Animal;

mal; ſed inter Operationem ut ſic & Diſcurſum mediat Judicium; non eſt ergo Diſcurſus immediatum membrum Operationis intellectus ut ſic.

12. Dices: Inter Operationem ut ſic & Judicium mediat paritèr ſimplex apprehenſio, & nihilominùs Judicium eſt membrum immediatum operationis intellectûs ut ſic; igitur noſtra ratio non obſtat, quominùs etiam Diſcurſus ſit hujuſmodi. Antecedens patet; nam regularitèr loquendo, priùs rem ſimpliciter apprehendimus, & deindè ad judicandum properamus.

Reſp. negando paritatem: quamquam enim inter Operationem ut ſic & Judiciũ mediare ſoleat ſimplex apprehenſio; non mediat tamen ut genus ſubalternum, ſed ut quidpiam accidentariò præſuppoſitum: aſt verò Judicium mediat tanquam genus ſubalternum inter Operationem ut ſic & Diſcurſum. Ratio à priori hæc eſt: quia Diſcurſus continet omnia prædicata Judicii, ut ſupra probavimus *num* 10.; Judicium verò non continet prædicata ſimplicis apprehenſionis, quia repugnat actum

com-

componentem eſſe ſimplicem. Inde ergo fit, Judicium eſſe genus reſpectu Diſcurſûs, non item ſimplex apprehenſio genus eſt reſpectu Judicii.

Altera Propoſitio. Non eſt inviolabilis ternarius mentalium operationum numerus, immò aut plures aut pauciores enumerandæ ſunt.

13. Infertur evidentèr ex prædictis, facilèque probatur: etenim dum dividimus operationes intellectûs, vel ſermo eſt de diviſione primaria & propriè dicta, vel de ſecundaria & impropriè dicta, quæ ſit idem ac ſubdiviſio. Si primum, ſequitur eas non fore niſi duas, videlicet ſimplicem apprehenſionem & judicium; ſiquidem hæ duæ tantùm primariò ac immediatè dividunt operationem intellectûs ut ſic, & inter ſe omninò diſtinguuntur, uti hactenùs probatum. Si ſecundum, ſequitur fore infallibilitèr multò plures quàm tres: nam ſi liceat membra ſecundaria & ſub aliis contenta computare, quis prohibebit præter ſimplicem apprehenſionem Judicium & diſcurſum, innumeras alias inferiores ſpecies recenſere, putà apprehen-

henſionem complexam & incomplexam, judicium compoſitivum & diviſivum, diſcurſum formalem & virtualem: item actus deprecandi, interrogandi, optandi, & ſimiles? Non enim magis iſti reducuntur ad alterutram ex ſupradictis operationibus, quàm diſcurſus ad judicium; ergo non erit ratio, cur diſcurſus computetur in numerum operationum, & illi alii actus minimè computentur.

14. Satiùs itaque concludendum, diviſionem operationis intellectus ut ſic, in ſimplicem apprehenſionem & judicium tantummodò faciendam eſſe. Deindè verò ut ſimplex apprehenſio ſubdividitur in complexam & incomplexam, ita judicium ſubdividendum eſt in ſimplex & illativū: quemadmodum homo priùs dividitur in animam & corpus, & poſtmodùm corpus in caput, brachia, & reliqua membra ſubdividitur. Conſentit Ariſtoteles *lib. cit. de Anima*, ubi loquens de diviſione propriè dicta (de qua ſola ſermo eſſe debet) duo dumtaxàt operationis intellectûs membra commemorat, nempè ſimplicem intelligentiam & Compoſitionem, ſeù

Sim-

ſimplicem apprehenſionem & judicium, ratus ſub judicio diſcurſum comprehendi.

15. Objicies primò. Eatenùs diſcurſus contineretur ſub judicio, quatenùs diceret in ſuo conceptu affirmationem vel negationem, quæ fuit ratio à nobis adducta *num.* 10. Hoc autem videtur falſum; ergo & illud. Probo minorem: Diſcurſus non eſt aliud niſi ſimplex actus inferendi ſeu illatio ipſa; ſed ſimplex actus inferendi ſeu illatio non eſt affirmatio & negatio, quia *inferre* ut *inferre* non eſt formalitèr *affirmare* vel *negare*, ſed præſcindit ab utroque, ut liquet ex terminis; igitur diſcurſus in ſuo formali conceptu neque affirmationem dicit, neque negationem. Exponitur id totum exemplo appoſito: ſi enim dicam, *Angelus eſt ſpiritualis*, ergo *penetrabilis*, diſcurſus hic non conſiſtet certè in affirmatione ſpiritualitatis vel penetrabilitatis de Angelo; ſed potiùs in ipſo actu indiviſibili, quo affirmatio penetrabilitatis eruatur ex affirmatione ſpiritualitatis. Unde eſt, quod Illatio & Illatum, Conſequentia & Conſe-

ſequens latiſſimum diſcrimen inter ſe capiant, quatenùs nimirùm aliud eſt propoſitio affirmans vel negans A de B, aliud vis illa quâ A de B affirmetur propter C.

16. Hæc ſpeculatio eò uſque torſit ingenioſum recentiorem P. Antonium Molli, alioqui mihi & doctrinæ convenientiâ, & charitatis neceſſitudine conjunctiſſimum, ut illum duxerit ad retractandam ſententiam. Ego verò exiſtimaverim nullius fore momenti, ſi negatâ minore primi argumenti, diſtinguatur major probationis in hunc modum: Diſcurſus eſt ipſa illatio ſumpta realitèr & in concreto, concedo majorem; ſumpta formalitèr & in abſtracto, nego majorem. Admiſsâque minore in hoc ſecundo ſenſu, & rejectâ in primo, negamus conſequentiam. Illatio namque realitèr concretèque ſumpta, non eſt niſi complexum quoddam ex duplici actu enuntiativo, ſive aggregatum ex antecedente & conſequente, juxtà nuper inſinuata *num.* 10. Quamobrem ut phyſicus curſus nihil re ipſa eſt aliud præter actionem exercitam in loco A, & actionem exercitam in loco B, imò eſt

ultra-

utraque ipſa ſucceſſivè habita;ſic ſimiliter diſcurſus intentionalis eſt dumtaxat complexum ex duplici judicio, quorum alterũ ſe habeat ut terminum *à quo*, alterum ut terminum *ad quem*. Et ſanè explica, ſi potes, quid aliud ſit *Inferre*, quove alio pacto fiat deductio hujus ex illo, phyſicè loquendo, niſi dicamus fieri id exercitè per hoc quod quidpiam affirmes intuitu alterius? Exercitè v.g. deducis penetrabilitatem Angeli ex ejus ſpiritualitate, per hoc ipſum quod affirmes eſſe penetrabilem, inde ductus quòd antè affirmaveris eſſe ſpiritualem: ideoque judicium ipſum eſt actualis exercitaque deductio, abſque interventu alterius veluti tertii actus, mediantis inter primum & alterum judicium: nõ ſecùs ac motus ſive curſus phyſicum non eſt in re aliquid tertium medians, ſed actio ipſa exercita in termino *à quo*, & actio ipſa exercita in termino *ad quem*, ut modò dictum eſt.

17. Inſtabis. *Inferre* Angelum eſſe penetrabilem, præcedit hoc quod eſt *Affirmare* Angelum eſſe penetrabilem; ergo repugnat illationem eſſe affirmationem. An-

Antecedens eſt certum, etenim intantum affirmas hoc; quia ſic deduxiſti, atque adeo illatio videtur cauſa affirmationis; omnis autem cauſa præcedit ſuum effectũ.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem concedimus id eſſe verum in actu ſignato, negamus in actu exercito: ſic enim deductio habetur per ipſam affirmationem vel negationem, ut pluries diximus. Neque officit cauſalis loquendi modus, nam etiam dicimus, me intantùm ſcribere, inquantùm determinatus ſum ad faciendum hunc actum, & non alium; cùm tamen determinatio hujuſmodi non ſit vel eſſe oporteat aliquid realiter præcedens ſcriptionem, imò haberi poſſit formaliter per ipſum ſcribendi actũ.

18. Objicies ſecundò. Diſcurſus explicat quid plus quàm judicium, nam hoc ſolummodò affirmat aut negat, diſcurſus verò (etiam dato quòd affirmationẽ vel negationem contineat) ulteriùs infert. Eſt ergo operatio omninò diſtincta à judicio, & conſequenter ſub illo non comprehenditur.

Argumentum hoc, in quo unicè ſita eſt do-

doctrina communis, patitur inſtantias manifeſtas. Imprimis rationale quid plus explicat quàm animal, cùm hoc exprimat tantummodò principium ſentiendi, rationale autem principium diſcurrendi: ſecundò admiratio, deprecatio, & ſimiles actus intellectuales, nonnihil utique plus explicant, quàm ſola ſimplex apprehenſio ut ſic; quia poteſt dari ſimplex apprehenſio, quæ non ſit admirativa aut deprecativa. Hoc tamen non obſtante, rationale continetur ſub animali, admirationem verò ac deprecationem ad ſimplicem apprehenſionem reduci probabilitèr autumamus. Solvitur propterea argumentum, omittendò antecedens, & diſtinguendo conſequens: Diſcurſus eſt operatio diſtincta à judicio ſimplici, concedimus; à judicio illativo, vel à judicio ut ſic, negamus conſequentiam. Quamvis enim diſcurſus explicet determinatè illationem, judicium verò ut ſic indeterminatè ſolùm & poteſtativè, id tamen haud impedit quominùs ſub judicio contineatur, eo ſenſu quo rationale continetur ſub animali, & quælibet

bet ſpecies ſub ſuo genere.

19. Inſiſtes. Diſcurſus eſt operatio diſtincta à judicio ſimplici; ergo etiam à judicio ut ſic. Patet conſequentia, quia judicium ut ſic eſt idem ac ſimplex, cùm per ſolam affirmationem aut negationem utrumque conſtituatur.

Reſpondetur negando conſequentiam, & probationem: ſiquidem judicium ſimplex dicit affirmationem & negationem *taxativè*, judicium ut ſic *præciſivè*. Illud videlicèt determinatè excludit illationem; hoc autem nec includit, nec excludit; ſed æquè contrahibile eſt ab illatione, atque à negatione illationis. Unde fit judicium ut ſic eſſe genus reſpectu ſimplicis, & reſpectu illativi ſeu diſcurſivi, ſicut animal eſt genus reſpectu rationalis & irrationalis, ac utrumque ſub illo comprehendi.

Alia quæ poſſunt opponi, levioris ſunt ponderis, & ex jactis fundaminibus facillimè propulſanda.

CAP. III.

Ad quam operationem intellectus pertineat actus dubius.

20. EXactam Dubiorum ſcrutationem, diſtinctionemque ſingulorum, pro materia Sacramenti Pœnitentiæ dignoſcenda apprimè neceſſariam, moralibus remittimus Theologis, præſertìm Suario *de Pœnit.* Sanchio *in Decal.* Tamburino *de oris Confeſs.* Quæ noſtrum reſpiciunt inſtitutum, paucis nec magno rumore proponendis diſcutiendiſque, ut arbitror, continentur. Quamobrem ut præfixam titulo quæſtionem expeditiùs reſolvamus, illud primo loco ſupponimus, Dubitationem non eſſe ſimplicitèr actum, ſed modum actus: quemadmodum actus evidens, clarus, determinatus, & ſimiles non conſtituunt ſpeciem diſtinctam ab aliis, ſed ſolùm denotant modum diverſum hujus aut illius actus. Difficultas eſt ergo, num ad ſimplicem apprehenſionem, an ad judicium modus iſte pertineat.

21. *Uni-*

Unica Propoſitio. Non poteſt preſſus dubitandi modus ad judicium propriè dictum pertinere.

21. Probatur: nam qui dubitat, eſt anceps & indeterminatus, fluctuatque in utramque contradictionis partem; ergo non profert propriè dictum judicium. Conſequentia tenet, quia judicium eſt acquieſcentia quædam intellectus in re judicata; implicat autem eſſe acquieſcentia, ubi eſt fluctuatio & indeterminatio.

22. Confirmatur. Nequit intellectus determinari ad affirmandum rem ità eſſe vel non eſſe, niſi aliquo determinato motivo fulciatur; ſed repugnat dari determinatum motivum ità affirmandi, ubi motivum dubitandi proponitur; ergo repugnat eſſe judicium propriè dictum, ubi eſt propriè dicta dubitatio. Sit exemplũ: Proponit ſibi quiſpiam, an poſt extremum diem, Terra, quam ex B. Apoſtolo Petro *cap.3.13.* ſecundùm promiſſa Domini novam expectamus, ſit rursùs incolenda? Nulla autem ſufficiens ratio cogit affirmare, fore potiùs quàm non fore; ergo non poteſt circa alterutram partem affir-

mantem aut negantem proferre ſententiam.

23. Dices. Poſſunt interdùm pro utraque parte ſufficientia motiva relucere: v.g. poteſt quis habere rationes probabiles ad credendum ſe peccatum aliquod commiſiſſe, & inſuper alias rationes probabiles ad credendum, ſe illud non commiſiſſe. Ergo poterit mens uni parti adhęrere cum formidine alterius, adeoque dubitando affirmare, ſeu affirmando dubitare: quod dubium poſitivum à Theologis nuncupatur.

Contrà eſt: vel enim ex utraque contradictionis parte æqualis omninò ponderis motiva reluceant; vel motiva ex una parte præponderabunt? Si primum; ergo mens neſciens cui parti adhærere magis debeat, remanebit indifferens & librata, ac per conſequens nequibit affirmativum aut negativum edere judicium. Si ſecundum; non erit ſanè dubium propriè dictũ, nam ubi cogitur mens in unam potiùs quàm in aliam partem propendere, eſt hoc ipſo determinata. Quocirca concludendum, Dubitationem preſsè ſumptam, ſeu

ſeu illam negativam ſeu poſitivam dixeris, ad ſimplicem potiùs apprehenſionem, quàm ad judicium attinere.

24. Amplior jam Propoſitionis confirmatio ſumitur à ſolutione argumentorum oppoſitorum, quorum hoc primum eſt. Actus dubius ſupponit ſimplicem apprehenſionem; ergo non eſt ſimplex apprehenſio. Antecedens probatur, nam priùs ſolemus apprehendere, & poſtea dubitare num res ità in ſe habeat uti apprehenditur.

Reſpondetur primam operationem gemino poſſe ſenſu ſimplicem nuncupari. Primò quidem *ſimplex* dicitur, quatenùs contraponitur judicio, cujus eſt componere, & dividere; ſecundò quatenùs ſpectata ſecundùm nudam ſui eſſentiam, contraponitur proprietatibus ac modificationibus ſuis. Hoc poſteriore ſenſu Dubietas ſimplicem apprehenſionem præſupponit, quia eſt modificatio quædam & proprietas ei ſuperveniens. Sed hinc non ſequitur, excedere limites ſimplicis apprehenſionis: nam ſicuti intra eamdem ſpeciem hominis, datur homo vilis & magnani-

mus, doctus & ignarus; ità intra eandem ſpeciem ſimplicis apprehenſionis, poteſt dari apprehenſio clara & confuſa, cum dubio, & ſine dubio.

25. Inſiſtes. Ille actus, qui perpendit motiva utriuſque partis, excedit fines ſimplicis intelligentiæ: ſed actus dubius perpendit motiva utriuſque partis, ſeriòque advertit neutra valere ad extorquendum aſſenſum; ergo actus dubius excedit ſimplicem intelligentiam ſeu apprehenſionem.

Omiſsâ majore propoſitione, minor negatur. Ea enim perpenſio & advertentia eſt actus quidam reflexus, qui impropriè dubius appellaretur: ſiquidem non datur dubium, ubi datur firmitas & certitudo; dicto autem modo advertens cum certitudine aſſerit utraque motiva eſſe inſufficientia, & ſe neutri parti adhærere atque addici poſſe: ſimiliter certò novit ſe eſſe dubium & perplexum. Nos autem loquimur de dubio propriè dicto, qui eſt actus directus ſupra rem dubitabilem, non ſupra motiva dubitandi.

26. Arguitur ſecundò. Poteſt ſtare aſ-

ſen-

ſenſus poſitivus cum formidine partis oppoſitæ, ut liquet in actu opinionis, & fidei humanæ; ergo etiam judicium cum dubitatione.

Reſpondetur, opinionem & humanam fidem non importare quidem formidinem actualem & ſubjectivam, quia ſic non eſſet aſſensûs poſitivus, ſed potiùs ſuſpenſio aſſenſus, ut alibi docebimus; important verò radicalem & objectivam tantùm, quatenùs innituntur motivo debili, quod cùm non habeat neceſſariam atque infallibilem connexionem cum re, relinquit locum ut intellectus advertendo, & iterum iterumque contemplando, poſſit de parte oppoſita formidare. Similiter ergo judicium haud quidem veram & actualem, ſed potentialem ſolùm radicalemve, ut dicitur, dubitationem compati poterit.

C A P. IV.

De origine humanæ cognitionis.

27. MAximum eſt Platonicos inter & Peripateticos diſſi-

dium, unde primæ rerum notiones ideæque ortum habeant. Putârunt illi animas rerum omnium ſpecies congenitas habere, hi autem nullas, ſed eſſe in principio tanquam tabulam raſam, in qua nihil depictum exaratumve eſt, ut expreſsè habet Ariſtot. *lib. 3. de anima te. 14. & 1. poſt. c. 1.* ubi noſtram omnem ſcientiam ex prægreſſis ſenſuum actibus ait de novo generari. Quas ſanè extremas opiniones moderatione aliquâ indigentes, facilè componemus, ſi ſingulis ad calculum vocatis, medium quemdam inceſſum tenuerimus.

28. Ergo Plato Pythagoram ſequutus (quibus & Empedoclem accenſuit Æneas Gazæus *in Theophraſto*,) in eum fertur errorem deveniſſe, ut doceret animas omnes humanas fuiſſe ſimùl cum mundo creatas absque corpore in Cœlo Empyreo: deindè verò ad exolvenda ſupplicia quorumdam peccatorum, in hanc vitam ablegatas, ſive in corpora magis minùsve perfecta detruſas pro qualitate ſcelerum, quæ in eo ſtatu commiſere: iisque tandem poſt certum tempus expiatis, ad Cœlum reverſuras.

29. Hoc

29. Hoc ſtante, conveniens videbatur, ut ſicut Angelis fuerunt infusæ ſpecies univerſales, ita animæ ſpeciebus omnibus & notionibus, quas Ἐννοίας vocant Græci, rerum à principio imbuerentur: quamvis poſtmodùm corporeâ mole veluti obrutæ ac ſopitæ, non eluceant, niſi laboribus,induſtriâ, ſtudiis, pedetentim excitentur: non ſecùs ac auri ſplendor occultus, rubigine depulsâ, manifeſtus apparet.

30. Duo in hac ſententia notanda veniunt. Primum eſt, animas fuiſſe ante corpora conditas: quod cùm ſacris repugnat paginis, expreſsè damnatur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 1. & in Bracarenſi 1. *decretorum cap.* 6. anno 563. contra Origenem & Priſcillianum; necnon Calcedonenſi ſub Leone Papa anno 452. contra Joannem Hieroſolymitanum; ac tandem Leo ipſe 1. *Epiſt.* 93. *ad Epiſcopum Auſtricenſem cap.* 10. *Catholica*, inquit, *fides conſtanter atque veraciter prædicat, quòd animæ hominum, priusquàm inſpirentur corporibus, non fuere.*

31. Alterum quod notari oportet, eſt, cas-

easdem animas rerum omnium ſpeciebus eſſe ab origine præditas : & hoc non eſt cõtra fidem, ut rectè notat. P. Lallem. *diſp. 10. de ſcientia parti.* 1. ſed falſum ex primo convincitur : nam ſi anima nõ vixit, priusquàm corpori immergeretur, eo quippe inſtanti ſpecies accepit, quo corpori juncta fuit: at quorsùm illæ , ſi ſtatim erant mole corporis opprimendæ , & omnis ſcientia in altæ oblivionis ſoporem commutanda? Certè aut eodem inſtanti potuit mens ſcientiam habere, & ſimul oblivisci; aut vana omnino fuit ſpecierum infuſio.

32. Reſpondebit aliquis, ſpecies infundi à principio, ut eas poſtmodùm ſtudii labor expergiſcatur, ſcientiamque in actu pariant, quam priùs in ſemine continebãt. Contrà eſt tamen primùm, quia poſſunt benè temporis decurſu , ſi & quatenùs diſtinctæ ſpecies requirantur, ab objectis immitti, & de novo acquiri; ergo non expedit ab initio infundi, & interìm otiari. Secundò eo ſtante, tollitur de medio Reminiſcentia, ſive prioris vitæ, quam Platonici tantoperè jactant, recordatio: Etenim illius

illius recordamur, quod aliàs actù novimus; ſi ergo nullam actualem ſcientiam, vi primordialium ſpecierum, habuimus, nullius rei propriè recordamur. Id quod debuiſſet advertere P. Lallem. *diſput. cit. à num. 4.* ſepè diſtinguens ſcientiam *quo ad actum, & quo ad habitum:* Cùm enim habere habitum, non ſit ſcire ſed poſſe ſcire, & ulteriùs habitus ipſe incognitus nobis fuerit, ut idem Author concedit *ibidem* ad *Tertium*; nō poſſum utique ob dictum habitum reminiſci quod ſciverim, immò nec etiam quòd ſcire potuerim.

33. Hinc ab utroque puncto alienam duxerim divini Platonis mentem; cùm incredibile ſit, Philoſophum prudentiſſimum, legisque noſtræ adeò ſtudioſum, ut à Numenio Pythagoreo Moſes Atticus vocaretur, hujusmodi fatuitates docere voluiſſe. Ubi autem de quodam primo animarum ſtatu, earumque corruptela & pœna doctrinam facit, putaverim probabiliter, illum de caſu dæmonum, deque Adæ peccato nonnihil ſobodoraſſe. Ità mecum Ludovicus Carbonus in *Introdu. ad univer. Philoſoph. lib. 2. c. 3.*

34. Ob-

34. Objicies 1. Nemo appetit aut judicat quod ignorat: ſed nos,nullo docente, bona appetimus, quidque benè aut malè fiat, judicamus; ergo eadem antè novimus. Secundò mens corrigit ſepè ſenſus, abſque ulla cognitione de novo acquiſita; ergo aliqua præceſſit innata. Tertiò quæ penitùs ſunt incognita, nec poſſumus quærere, nec inventa approbare: ſi enim inquiras Petrum quem ignoras, etiamſi tibi occurrat, neſcies adhuc eſſe illum quem inquirebas:ergo,&c.

35. Hæ & aliæ plures rationes, quas congerit Marſilius *lib. 11. Theol. Platon. cap.7.*ſolùm ſuadent, præcedere in nobis aliquas apprehēſiones notionesque communes,atque naturæ inſtinctus à ſupremo Authore animis inſitos, quæ libenter admittimus,ut infra: ideò etſi Ariſtotelem urgeant, ne in minimo quidem nobis officiunt. Quod verò adduci ſolet de Puero, qui à Socrate de Geometria interrogatus, ad omnia benè reſpondit; ſi verum eſt,aliis puto cauſis eſſe referēdū; alioqui de rebus medicis aut theologicis, æquè benè ac de geometricis,nedum ille, ſed

qui-

quilibet alius puer reſpondere potuiſſet. Ariſtoteles 1.*poſt.* *cap.*2. docet, geometrica principia lumine naturæ eſſe manifeſta, & hoc fuiſſe in cauſa, cur de illis puer reddere potuerit rationem. Hæc tamen reſponſio, licèt fortaſſe vera, quemadmodùm cohæreat cum ſuis principiis, quibus ſuſtinet intellectum eſſe in principio tanquam tabulam raſam, ac proindè nullam omninò ſpeciem dari, quæ non ſit ſtudio, aut magiſterio comparata. Peripatetici viderint.

36. Interim autem nos, poſitâ Platonicæ cenſurâ doctrinæ, ad ipſam Ariſtotelis opinionem devenimus: ut oſtenſâ ejus falſitate, mediam ſententiam ſtatuamus. Cùm itaque dictum ſit, & *primâ* veluti *Propoſitione* determinatum, quod non omnes ac ſingulas notiones ideaſque acceperit animus; concludimus jam pro *altera propoſitione*, nonnullas nobiſcum gigni, & animo, ut ſic dicam, conſignari.

37. Probatur, quia dãtur quædam veritates ſolo luminæ naturæ notæ, v.g. *Idem non poteſt ſimùl eſſe & non eſſe: Omne totum eſt majus ſua parte: Quicquid fit ab alio fit:*

Deus

Deus eſt colendus: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, atque id genus aliæ, quæ non poſſunt ab ullo ſanæ mentis in controverſiam revocari; ergo harum ſaltem notiones, velut ſtudium omne ac diſciplinam prævenientes, congenitæ nobis dicendæ ſunt.

38. Confirmatur argumentum: Hujusmodi enim veritates ſunt omninò indemonſtrabiles; nam ſi ratione aliquâ, vel ex alio principio demonſtrari poſſent; hoc ipſo nec prima principia eſsent, nec ſuâ luce cognita: Unde Ariſtoteles 1. *poſt. cap. 9. tex. 24. Ea autem*, inquit, *quocumque genere principia dico, quæ quod ſunt non contigit monſtrare*. Igitur eorum notitiam aut neutiquam habebimus, aut per ſe nobis innatam eſſe neceſſum erit.

39. Inſuper niſi aliqua prima principia, notionesque communes prorſus indemonſtrabiles ſupponantur, non poterit per diſcurſum unum ex alio inferri: ſic enim cuncta probanda forent, atque in infinitum procederemus. Præterea ut cauſæ naturales nihil agunt, niſi aliquod præexiſtat, ex quo effectum producant, &

circa

circa quod moveri incipiant; ita intellectus humanus ad nihil intelligendum & judicandum poteſt ſe movere,niſi aliquas veritates primas præintelligat. Quæ quidem veritates & principia à S. Th. virtutum intellectualium Seminaria meritò nuncupantur: quòd ex earum notitia non minùs quàm ex ſemine, plantæ, ulteriores aliæ notitiæ deducantur.

40. Hæc verò omnia cùm ità ſint,difficilè non erit cum Platonicis Ariſtotelem concordare, ſi diſtinctione utamur: vel enim loquimur de veritatibus primorum principiorũ,quæ ex ſeipſis ſunt manifeſtæ; vel de illis, quæ nonniſi per conſequentiam & diſcurſum conſtant: ut autem Plato non poteſt harum notiones congenitas admittere, ità illas Ariſtoteles nequit inficiari.

41. Sed audio aliquem inferentem, aut omnes fore congenitas, aut nullas: ideò enim hæ congenitæ non ſunt, quia donec novâ diſcurſûs inveſtigatione excitarentur, otioſæ manerent: cùm autem omnes in infantibus otioſæ maneant;nullę prorsùs,aut certè omnes erũt cõgenitę.

Qui

Qui ſic objicit, rectiùs conferat fundamenta utriusque doctrinæ, & confeſtim ei occurret ampliſſimum diſcrimen. Veritates enim per ſe notæ, ſive prima cognitionum principia nequeunt de novo acquiri, ut ſupra diximus; ergo oportuit (ut aliquando haberi poſſet eorum notitia) anticipari, tametſi paulisper otio infantili torpere habeant. Hæc autem neceſſitas non eſt in illis, quæ diſcurſu & applicatione indagari poſſunt; ergo non decet ea otio longiori ac forſitan ſempiterno ab exordiis uſque committi.

42. Exceperim ab his notiones rerum ſpiritualium & abſtractarum, aliorumve id genus ſenſus fugientium. Cùm enim mens ab iſtis ſpecies per ſenſuum incilia, quibus ad præſens utitur, non expectet, ut dicam toto *capite ſequenti*; probabile admodùm eſt, aliquo lumine primùm mortificato, tùm paulatìm reviviſcente à principio perfundi.

CAP.

CAP. V.

An omnis noſtra cognitio à ſenſibus dependeat.

43. QVia nupèr Ariſtoteles humanā mentem ad inſtar rudis tabulæ deſcripſit, conſequentèr docet, omni omninò cognitione carere, quoadusque mediis ſenſuum organis veluti quibusdā vehiculis, imagines rerum ab objectis delatæ, in eadem imprimantur. Refertur ex Epicuro ſimile pronuntiatum: *Omnis idea quæ eſt in mente, ortum ducit à ſenſibus*. Contrà alii non ignobiles Philoſophi, quorum paucos refert Suar. *lib.4.de ani. cap.7.* non adeò neceſſariam cenſuerunt animi à ſenſibus dependentiam, ut nequeat ſine illis in multos actus prorumpere. Quam quidem opinionum diſcordiam ut componere valeamus, meminiſſe oportet eorum quæ ab ipſa didicimus pueritia: videlicet ſenſus alios eſſe externos, ut Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, Tactus; alios internos, ut Imaginatio, Phantaſia,

Senſus-communis, qui in cerebro ſedem figunt. Modus autem quo ex ſenſibus fiat cognitio, in libros de Anima declarandus remittitur; illudque interìm ſatis ſit noſſe, quòd dum externis ſenſibus, v. g. oculo aliqua res objicitur, ſtatìm ejus nervi obtici, qui cerebro ſunt inſerti, commoventur, & ſenſum internum excitant; ibique depictâ primùm materiali, ſed admodùm purâ rei imagine, imago tandem ſpiritualis efformatur, quæ eſt intellectualis cognitio.

Sit ergo nunc *Prima Propoſitio*. Abſque motu aliquo corporis, nullam cognitionem elicimus.

44. Probatur experientiâ:nam primùm aſſiduo ſtudio & contemplatione, caput defatigari & accendi ſolet. Secundò læſo cerebro, aut vaporibus obſtructo, rectæ animi functiones impediuntur. Tertiò pueri ob ſolam organorum indiſpoſitionem, carent perfecto uſu rationis. Quartò ab externa corporis vultûsque ſpecie, internæ indolis argumenta capiunt Phyſiognomi. Quintò demùm ſingulæ animi paſſiones ad corpus transfunduntur; & vi-

viciſsim *corpus quod corrumpitur*, *aggravat animam*; *& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Quæ omnia arguunt, tantam pro præſenti ſtatu eſſe animæ cum corpore connexionem, ut nullam prorſus, hoc feriante, cognitionem eliciat, ut propoſuimus. Sap. ca

Secunda Propoſitio. Non omnis noſtra intellectio à prævia ſenſuum perceptione dependet.

45. Probatur primò ad hominem contra Ariſtotelem *lib.2.de ani. tex.60.* ubi, *Anima*, inquit, *intelligit quando vult*, *ſed non ſentit quando vult*. Quæ verba clarè continent aſſumptum Propoſitionis: quomodò enim impeditâ facultate aut occaſione ſentiendi, libera poſſet eſſe facultas intelligendi, ſi omnis noſtra intellectio à ſenſuum perceptione neceſſariò dependeret?

46. Secundò infertur eadem propoſitio ex dictis *num. 37.* quia varia extant axiomata & dignitates, multæque enuntiationes ſempiternæ veritatis ac neceſſariæ, quæ cùm nullum ab experientia ſuffragium poſtulent, auxilia ſenſuum,

ſpecies deferentium haudquaquam recognoſcunt.

47. Tertiò probatur, quia mens ſuas affectiones, nempè gaudium, beatitudinem, juſtitiam, amorem, aliaque ſimilia, intelligit, quæ cùm colorata non ſint, nec ſonora, nec olida, nec ſapida, nec quanta, per nullam ſenſuum januam intrare in animum poſſunt. Confirmatur, nam cognitio rei incorporeæ non eſt à ſenſibus deducta, cùm res corporeæ tantùm ac materiales ſenſibus occurrant; multæ autem dantur de rebus incorporeis ac ſpiritualibus humanæ cognitiones. Unde Auguſtinus de Dei rerumque ſpiritualium cognitione loquens *lib. de immort. animæ*, *Nullam*, ait, *corporis ſenſus imaginem impreſſit: quia nec ipſæ coloratæ ſunt, nec ſonant, aut olent, aut guſtatæ, aut contrectatæ ſunt.*

48. Quartò ſenſus non ſe extendunt ad rationes univerſales & abſtractas; humana autem cognitio ad univerſales rationes, de quibus tantùm ſcientiam admittit Ariſtoteles, & ad abſtractos numeros, eorumdemque proportiones haud ſemel fertur.

Digitized by Google

49. Quintò ſi ſupponeremus cum Carteſio, animam rationalem, ex quo infuſa eſt in corpus, ad hanc uſque diem manſiſſe in eo clauſis oculis, obſtructis auribus, & abſque ullo aliorum ſenſuum uſu: ità tamen, ut nullum poſitivum in cogitando impedimentum à corpore pateretur: eaſdem proculdubio quas modò habet, imò puriores clarioreſque à natura inditas primorum principiorum ſupradictas notitias, necnon Dei & ſui ipſius ſuarumque affectionum ideas habitura fuiſſet: exercitium namque ſentiendi videtur potiùs impedire, quàm juvare ad hujuſmodi cognitiones; & quominùs diſtrahitur ſenſus in ſpecies materiales excipiendas, eò profundiùs mens recolligitur in objecta ſpiritualia contemplanda: ut liquet in extaſi, raptu, & exceſſu Sanctorum, itemque in cæcis, ſurdis, & mutis à nativitate, quos ſingulari ac planè miraculosâ intelligendi vi præditos quotidiana comprobat experientia.

50. Sextò paſſim accidit ſenſus noſtros, ne inducant in errorem, à mente corrigi: quemadmodum, monente fide

corriguntur in myſterioſa panis & vini Euchariſtici apparentia, & in infinitis aliis, hiſtrionum præſertìm arte factis repræſentationibus. Mentis ergo judicium, quod ſenſuum eſt correctivum, ſi per ſenſum haberetur, adhuc dignum eſſet correctione, & correctio hæc iterùm aliâ indigeret, cum proceſſu in infinitum. Reſpondentibus autem quibusdam, quòd mens corrigit ſenſuum operationes vi alterius ſensûs, aut ejusdem alitèr ſe habentis quoad locum, vel alio modo ex pluribus à nobis aliàs aſſignandis; totum nos libentèr concedimus: ſed illud omninò negamus, quod nimirùm Judicium ipſum, quo ita ſenſatio una comparatur cum alia, vel quo regulæ & media quævis ad corrigendum adinveniuntur, per ſenſum habeatur: nam quod ſenſibus ſupereminet, & eorum functiones quoquomodo moderatur, à ſenſu independens eſt.

51. Septimò licèt cognitiones omnes immediatæ ac directæ à ſenſuum organis dependere admittamus; nemo tamen inficias ibit, quin mens ſuper illas reflectere, & ex una cognitione ulteriores alias poſ-

ſit

ſit deducere. Iſtæ igitur reflexæ ac mediatæ cognitiones non erunt à ſenſibus proximè dependentes. Unde perſpicua ſiunt quæ docuimus *cap.* 1. *à num.* 3. Siquidem etſi cognitiones iſtæ ſenſuum perceptionem præſupponant; earum tamen objectum eſt omninò diſtinctum ab objecto directarum, quod ſenſus perceperunt.

52. Poſtremò plures operationes & motus corporis ſunt independentes ab intellectione animæ; ergo plures operationes & motus animę erunt independentes à perceptione corporis. Eæ quidem ſunt, arteriarum pulſus, ſanguinis circulatio, alimenti digeſtio, nutritio, &c. quæ, mente inſciâ aut etiam renuente, perficiuntur; animæ verò inorganica eſt operatio intelligendi Deum, ſeipſam, & alia plura ſuperiùs recenſita. Inorganica, inquam: non quatenùs organa ad motum animi immota maneant; ſed quòd nullum, prævio motu, phantaſma effictum obtulerint.

53. Dices, ſpirituales ſubſtantias cognoſci à nobis abſtractivè per compara-

tionem & imaginem corporearum ſubſtantiarum, putà Deum per ſimilitudinem ſenis venerabilis, Angelum per ideam juvenis alati,animam per figuram ſpecioſæ puellæ, &c. neque aliàs quàm formando in nobis ſpectrum aliquod ſenſibile, inſenſata ulla hujusmodi cognoſcere licet.

54. Sed cõtrà eſt,quia id tantùm evenit ex aſſuetudine ſenſibilium, quæ viſu & aliis ſenſibus concipere conſuevimus. Cæterùm (ut rectè Auguſtinus *lib. cit.*) *cùm res ſpirituales, ut decet, animus intelligere vult, à corpore avertitur.* Et ſanè dic per tuam fidem, ut affirmem, Deum, Angelos, & Animum incorporeos eſſe, refert ne ad corporeas imagines mentem convertere? Tantùm profectò abeſt, ut corporea ſpecies ad objectum incorporeum quà tale, judicandum valeat, quòd potiùs obſiſtat. Neque replices dicens, ob ipſas ſpecies quas habet rerum corporearum, mentem negare Deo, Angelis, & Animæ rationem corporis, tanquam ipſis diſſimilem: nam iterùm recurrit difficultas, ſiquidem ipſa negatio corporei-
tatis

tatis Deo & Angelo diſſimilis, ſive actus formalis quo enuntio, *Deus non eſt corporeus*, ſi à corporearum rerum imagine dependeret, unum contradictorium ideam ſumeret, & ſuum eſſe recognoſceret ab alio contradictorio. Rogo item te ut explices, quænam imagines & ſpectra in cerebro effingi poſſint cogitationis ſpiritualis, quam tamen reflexo, uti ſupra docuimus, actu diſtinctiſſimè cognoſcimus? Vel commonſtres obſecro aliquod materiale ens ſenſibus noſtris obvium, ad cujus ſimilitudinem efformemus ideam præfatæ intellectionis? Et ſi reſpondeas, imagines, ideasque rerum efformari poſſe non ſolùm ſimilitudine, ſed etiam compoſitione & ampliatione, ut cùm ex diverſis imaginibus auri & montis, montem aureum in phantaſia fabricamus; vel cùm ex ſpecie hominis ordinariæ ſtaturæ, nobis gigantem exhibemus. Si, inquam, ſic reſpondeas, oſtendendum tibi eſt, ex quibus imaginibus, & quomodo, componendo ne an ampliando, hanc, quam habemus, *Cogitationis* ideam comparaverimus? Cùmque in utroque difficultate ma-

maximâ oppreſſum te ſentias; concedere debebis ſaltem ideam prædictam Cogitationis ex nulla imagine ſenſibili emergere potuiſſe.

55. Ergo omninò negandum celebre illud axioma, *Nil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*: quanquam enim verum ſit, non poſſe animum quicquam cognoſcere, niſi motus aliquis fiat in ſenſibus, uti qui alteri eſt alligatus, illo prorſus immoto, moveri nequit; id tamen non obſtat, quominùs repræſentare multa valeat, quæ nec in ſenſus incurrunt, nec in imaginatione depinguntur. Aliud ergo eſt, operante animo, concomitantèr aut conſequentèr operari etiam ſenſum, non ſecùs ac inferiores orbes à primo Mobili rapiuntur; aliud eſt, nil poſſe animum exprimere, niſi id priùs, ſuapte determinatione, ſenſus expreſſerit.

CAP. VI.
De ſenſuum fidelitate.

Etſi plurima ſenſibus aliena intellectus concipiat; plurima etiam ſunt, quæ

priùs

priùs in ſenſus cadunt, & horum interventu ad mentem deferuntur. Ideò videndum eſt, an & quando ſenſus ipſi fallantur, aut fallant: ut venari indè poſſimus vitia & errores, quibus idem ſubeſt intellectus.

Prima Propoſitio. Senſus in rigore loquendi nunquàm falluntur.

56. Probatur, quia licèt plura à ſenſu percipiantur, quæ in ſe ità non ſunt, ut infra; non eſt tamen ſenſitivæ facultatis judicare vel diſcernere, multòque minus diſcurrere de intima rerum eſſentia; ſed ſimplicem tantùm impreſſionem à ſenſibili factam, excipere. Cùm autem hæc impreſſio eo modo quo excipitur, reverà fiat; manifeſtum eſt, à deceptione ſenſus quoslibet eſſe immunes.

57. Sic ergo dum ab igne v.g. calorem ſentis, nullus in hoc error ineſſe poteſt, cùm calorem reipsà ſentias; ſed tum demùm deciperis, cùm ab hujuſmodi perceptione deluſus, judicas eundem calorem quem ſentis, extra te exiſtere; juxta doctrinam tradendam *lib.3. cap.3. num.26.* Similiter dum remum, alioqui integrum

& re-

& rectum, in aqua demerſum, curvatum vides; haud quidem fallitur oculus, quinimò ipſe falleris, ſi eum falli ſuſpiceris: refractio ſiquidem radiorum Solis efficit, ut lux ex remo projecta & re percuſſa, pingat in reticulari tunica imaginem remi ex parte recti, & ex parte obliqui; ergo omninò neceſſe eſt ita videri, adeoquòd erraret viſus; legesque naturæ violaret, ſi alitèr inſpiceret. Sed cavendum tibi, ne in ſola ſenſus repræſentatione quieſcas, ut deinceps dicam: ſic enim non in ſenſu, ſed in mente deceptio eſſet: Unde Auguſtinus *lib de ver. Relig. cap. 32. Si quis remum in aqua frangi opinatur, & cum inde aufertur, integrari : non malum habet internuntium* (hoc eſt falſam oculi viſionem)*ſed ipſe malus eſt judex.*

58. Patet itaque ſine merito attribui ſenſibus deceptionem & errorem; niſi fortè deceptionis erroriſque voce activam fallaciam intelleximus, quòd videlicèt erroris anſam & materiam ſuggerant mēti ſeipſam decipiendi. Cùm enim ſenſibus ſpectet præcisè repreſentare & exprimere, non autem quid res ſit vel non ſit, judicium

dicium ferre, ut ſuprà probabamus;deceptionis paſſivæ & propriè dictæ videntur prorsùs eſſe incapaces.Quòd ſi adhùc hæreas in re hac ſatis manifeſta, eam evidentiùs colluſtrabo aptiſſima paritate. Cogita nimirùm pictorem, qui volens retrahere Venerem, retrahat Minervam: in tali caſu errat pictor, ſed non imperfecta eſt pictura; quia licèt non ſit imago illius, cujus eſſe debebat, eſt imago illius,cujus eſt, Minervam ſcilicet ipſam, quæ ſuum jam eſt objectum,ad vivum repræſentans. Sic pariter dum unum pro alio objectum videmus, errat Ratio, ſi judicet eſſe illud quod intendimus; at verò Senſus munere fungitur ſuo:ſiquidem verè videt id quod videt, eoque modo quo videri ſe facit;neque alitèr videre intendit, cùm nihil intendat.

59. Incaſſum ergo Proprium & Commune ſenſibile diſtinxit Ariſtoteles 2. *de anim. tex.63.* ubi: *Dico autem Proprium quidem, quod non contingit altero ſenſu ſentiri: & circa quod non contingit errare, ut Viſus coloris, & Auditus ſoni.* Incaſſum,inquam,cùm circa neutrum decipiatur ſenſus;

ſus, ut de omnibus abſque exceptione probatum eſt. Ubi etiam S. Thomas *in Proſa quadam ſua ad Euchariſticum Sacramentum attinente*, cecinit: *Viſus, Guſtus, Tactus in te fallitur &c.* & *Opuſc.* 57. docuit ſubſiſtere accidentia in eodem Sacramento, *ut ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant ſibi notis*, quibus verbis videtur ſupponere, ſenſus eſſe obnoxios deceptioni: de impropria ac latè ſumpta deceptione locutum ſuſpicamur, quemadmodum de improprio citra dubium locutus eſt judicio; itaut quod cauſaliter ſive occaſionalitèr faciunt ſenſus, velut formalitèr contingere dixerit: Non ſecùs ac Job *cap.* 31. proteſtatur, *pepegiſſe ſe fœdus cum oculis ſuis, ut ne cogitaret quidem de Virgine*, quaſi verò oculis materialibus, & non potiùs mente cogitare potuiſſet: idque ex eo quòd per ipſos intrare ſoleant objecti ſpecies, ad cogitandum & concupiſcendum incitantes, juxtà illud Hier. 9. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras*: quod expendens Greg. *in præcit. cap.* 31. Job, *cap. ſuo* 2. ſubdit: *Mors*
quip-

quippè per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur, cùm per ſenſus corporis concupiſcentia veniens, habitaculum intrat mentis.

Secunda Propoſitio. Fallunt nos ſæpè ſenſus: at non ſemper.

60. Priorem partem probat experientia, quâ paſsìm deprehendimus, repræſentari à ſenſibus objecta, quæ in rei veritate non exiſtunt: nam quod ad Viſum ſpectat, turris quadrangula eminùs viſa cylindricam ſimulat rotunditatem; Stellæ primæ magnitudinis apparent ut minimæ ſcintillæ; ſemitæ parallelæ videntur ad certam diſtantiam veluti concurrentes; fuſca corpora procul ſpectata, exhibentur tanquam perfectè nigra; navigantibus apparet littus recurrere, & lignum à quo feruntur, quieſcere; baculus rectus, ſi partìm in aëre, partìm in aqua extiterit, videbitur tortuoſus; & plurima tandem in picturis prominere cernuntur, quæ plana ſunt. Similes his prorsùs fraudes ſubit Auditus: nam ſi digito obturaveris propriam aurem, tremulum quoddam murmur deforis adveniens, continuò audies; & ſi etiam eam manum

auri

auri ſic admotam, digitis alterius manus regulatè percuſſeris, tympani bellici ſtrepitus in eadem reſonabit. Reus denique fallaciæ convincitur Tactus, ac per conſequens ſenſus omnes, qui ad Tactum reducuntur; & ſunt quædam illius ſpecies: etenim idem balneum primo ingreſſu ferventiſſimum, mox valdè temperatum judicatur: è contrario aër, primo ex balneis egreſſu, frigidiſſimus, paulòpoſt temperatus aut fortè calidus. Hujuſmodi autem impropriæ ſenſuum repræſentationes, qualeſcumque ſint, anſam intellectui præbent malè apprehendendi, & de rebus alitèr ac ſunt in ſe judicandi: proùt olìm Zeuxim artis licèt conſultiſſimum, depictâ à Parrhaſio mappâ deceptum, refert ex Plinio Fulg. *lib. 8. cap. 21.* neque defuit qui lunam & nubes intuens, illam verè, ut proſpicitur, currentem, has quieſcentes apprehendit ac judicavit, ideòque à visûs ſenſu deceptus fuit.

61. Diſſimulo primùm quæ per Magos & præſtigiatores, in oculis aut phantaſiâ Cacodœmones repræſentant ad homines illudendos: ut cùm Samuel jam mortuus;

tuus, artibus nefariæ Pytoniſſæ ſuſcitatus apparuit, & locutus fuit Sauli,qui id præceperat; vel cùm viſa eſt Virga in Colubrum verſa à Maleficis Pharaonis,per incantationes Ægyptiacas;vel demùm cùm varia ſpectra & phantaſmata, imaginesque aut venuſtatem fingentes, aut terrorem ſpirantes, Sanctis viris in ſolitudine degentibus, aliiſvè apparuere,ut legimus in vita PP.[, præſertim B. Antonii Abbatis, & apud Martinum Del-Rio.

1.Reg.cap. 28.

Exod. cap. 7.

62. Secundò taceo quæ ab ipſo Deo & bonis Angelis, ad hominum inſtructionem & ſalutem, aliumvè juſtum finem oſtenſa ſunt: ut fuere viſiones Danielis, Ezechielis, Habacuch, aliorumque Prophetarum, necnon Pauli, Stephani, Joannis Evangeliſtæ exulantis in Patmos, & aliorum Sanctorum Dei, quibus ſub forma corporea apparebat jam auguſtiſſima Trinitas, jam Deus loquens humano modo, quaſi ore & lingua polleret; vel cùm Jacob & Abraham Patriarchis, & Loth, & Tobiæ filio, & Sodomitis, & cæteris tum veteris, tum novi teſtamenti Angeli apparuerunt ut juvenes induti corpori-

bus, ſpiritualemque, juſſu Dei, naturam mentientes.

63. Prætermitto tertiò, quæ per magiam naturalem & luſoriam, qualis ab hiſtrionibus & mimis exercetur, vel aliàs artificiosè configuntur, ad viſum, ut vulgò dicitur, incantandum: quò fortaſsis etiam ſpectare poſſet Mennonis ſtatua, Archytæ columba, Zeuxis uva, æneum caput Alberti Magni, & ſimilia; quatenùs iis aſſentiens intellectus, proùt ſenſibus ſe exhibuerant, in errorem incidebat. Hęc omnia, inquam, pariaq; prætereantur: liceat tamen inde concludere, ſenſus ſingulos, tametſi paſsivæ ac preſsè ſumptæ deceptionis incapaces exiſtant, ab activæ fallaciæ vitio nequaquam eximi, ſed identidem fallere, ut commonſtravimus.

64. Altera pars Propoſitionis ſuadetur ex abſurdis oppoſitæ ſententiæ: nàm primò fruſtrà Deus nobis ſenſus contuliſſet, ſi fatali lege ſtatutum eſſet, ut iis utens, ſemper mens in errorem pertrahatur; *imò culpandus foret Creator* (inquit Tertull.) *qui tam fallaces internuntios nobis dediſſet.*

Lib. de anim. c. 17.

65. Secundò ſenſus aut à natura habent

bent falli,aut ab accidente?Si primum,error cedet in naturæ authorem, ut jam intulimus; ſi ſecundum, habebo intentum, nam quod non à natura, ſed ab accidente occurrente eſt, non ſemper eſt.

66. Tertiò decipientibus ſemper ſenſibus, dubitare nonnemo poſſet, quin Thomas Apoſtolus palpârit & viderit vulnera Chriſti Domini; ineptumque fuiſſet argumentum, dum ad confirmandam Reſurrectionis fidem, *Palpate*, inquit Dominus, *& videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habent, ſicut me videtis habere*; fruſtràque inſuper ex auditûs visûsque experimento, doctrinæ veritatem tantoperè exageraſſet Joannes *epiſt.* 1. *cap.* 1. ſuper quæ Tertullianus, *Recita*, inquit, *Joannis teſtimonium: Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ. Falſa utique teſtatio, ſi oculorum, & aurium, & manuum ſenſus natura mentitur*. Atque omnis denique tum divina tum humana fides, quæ utique eſt *ex auditu*, prorsùs everteretur. Videatur Aug. *lib.* 3. *contra Acad.* & *Lucr. lib.* 4. *de nat.*

Lucæ 24.

Rom. 10.

67. Inferes, aliquandò credendum ſenſibus, aliquandò aſſenſum ſuſpendendum: ne fortè contingat in falſum judicium temerè labi. Quæ autem ad rectè judicandum ex medio ſenſuum obſervanda ſint, ex profeſſo trademus *lib. ſeq. cap. 6.*

CAP. VII.

Quid Veritas, & Falſitas.

68. Illud toto hoc opere maximè contendimus, ut veram intelligentiam aut judicium à falſis diſcernamus: ideò nonnihil de Veritate ipſa ac Falſitate dicendum eſt. Eſt autem Veritas duplex: Tranſcendentalis una, quæ convenit rei ſecundùm ſe, de qua iterùm *Parte 2. lib. 2.* & ampliùs in Metaphyſica; Prædicamentalis ſive formalis alia, quæ convenit cognitioni repræſentanti objectum ut eſt in ſe, & de hac eique contraria falſitate in præſenti agimus.

Prima Propoſitio. Veritas formalis eſt conformitas actus cum objecto reali: falſitas, ejuſdem difformitas.

69. Ità Ariſtoteles *1. poſter.* & alibi, ubi: *Ex eo*, inquit, *quod res eſt vel non eſt, propoſitio vera vel falſa eſt*. Neque puto aliquem poſſe nobis adverſari, explicatis terminis. Per Conformitatem enim nihil aliud intelligimus, niſi debitam quandam proportionem & habitudinem inter cognitionem & rem cognitam: quæ propor. tio habetur, quando res ſe habet prout affirmatur vel negatur. Difformitas autem eſt indebita tendentia intellectûs in objectum, dum affirmat eſſe in eo aliquid quod non eſt, vel negat ineſſe quod ineſt. In his autem reſpectivè conſiſtere veritatem & falſitatem, vel ruſticis notum eſt: nam quemadmodum illa dicitur vera imago, quæ ſuo uniformatur exemplari, falſaque & impropria, quæ eidem eſt difformis; ſic paritèr cognitio.

Secunda Propoſitio. Neque veritas neque falſitas eſt eſſentialis, ſive adæquatè intrinſeca actui.

70. Infertur ex ſuperiore: cùm enim dictum ſit, veritatem conſiſtere in conformitate actûs cum objecto; includet certè veritas (ac reſpectivè falſitas) duo, a-

ctum ſcilicèt qui venit in recto, & obje-ctum quod venit in obliquo; ergo non erit actui eſſentialis, & adæquatè intrinſeca. Patet conſequentia, nam quâ parte includit objectum, includit hoc ipſo aliquid actui extrinſecum; unde erit denominatio partim intrinſeca & eſſentialis, partim extrinſeca & accidentalis.

71. Confirmatur: nam ſicut *eſſe ſimile* importat duo, ità *eſſe conforme*. Quare notandum eſt, *ſimplicitèr repræſentare objectum*, eſſe relationem tranſcendentalem: repræſentare verò objectum *uti eſt in ſe*, ſeu illi conformari, eſſe prædicamentalem; ſed relatio prædicamentalis conſurgit ex fundamento & termino; ergo veritas, quæ eſt repræſentatio objecti ut eſt in ſe, non minùs objecto quàm actui eſſentialis erit.

72. Opponcs primò. Veritas eſt perfectio intellectûs; ergo eſt actui adæquatè intrinſeca: nulla enim res perficitur per formas extrinſecas. Reſpondetur primùm diſtinguendo antecedens: ſecundùm id quod veritas dicit in recto, conceditur; ſecundùm id quod dicit in obliquo, ne-

negatur. In recto quidem dicit Actum, qui utique eſt intrinſecus & eſſentialis intellectui cognoſcenti; cùm nihil eſſentialius intrinſecúmque rei magis, quàm ipſa ſibi. Secundò negamus veritate perfici intellectum formalitèr, ſed arguitivè tantùm, quatenùs ex veritate aſſecuta, arguitur perſpicacitas & rectitudo Potentiæ, bonaque indè multa ſubinferuntur, putà veritatum ſimilium penetratio, utilium proſequutio, noxiorum fuga; &c. quorum ſanè bonorum tum antecedentium tum conſequentium ratione, mentis perfectio appellari poteſt.

73. Oppones ſecundò. Aliqui actus ſunt ab intrinſeco veri, putà propoſitiones neceſſariæ, ac de materia divinæ fidei, quę nequeunt eſſe falſæ: ergo falſa ſimpliciter aſſertio. Reſpondetur negando antecedens: ideò enim propoſitiones neceſſariæ & de fide, nequeunt eſſe falſæ, quia earũ objectum aut abſolutè, aut ex ſuppoſitione alitèr eſſe non poteſt ac enunciatur: eſſe autem ſicuti enunciatur, non habetur ab ipſa propoſitione.

74. Oppones tertiò. Actus voluntatis

ſunt boni bonitate adæquatè intrinſecâ; ergo actus intellectus ſunt veri veritate adæquatè intrinſecâ. Conſequentia probatur: quia ſicuti ſe habet Bonum ad voluntatem, ità Verum ad intellectum. Reſpondetur negando paritatem: quia bonitas moralis actûs, non deſumitur ex merito objecti cui conformatur, ſed ex motivo rationabili quo illud proſequitur. Hinc eſt, quòd aliquando honeſtè amatur malum ſub apprehenſione boni, & inhoneſtè bonum ſub apprehenſione mali.

75. Oppones quartò. Omnis actus per ſuam eſſentiam eſt conformis aut difformis objecto ſuo; ergo per ſuam eſſentiam eſt verus aut falſus. Antecedens probatur: dictum eſt enim, quòd de eſſentia actûs eſt repræſentare objectum; non poteſt autem repræſentare, & aliquo modo non repræſentare. Vel ergo repræſentat illud modo quo ſe habet à parte rei, & ſic eſſentialitèr conformatur; vel alitèr ac eſt à parte rei, & ſic eſſentialitèr difformatur.

76. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: & conceditur de conformitate vel difformitate inadæquata, negatur de

adæ-

adæquata; hæc enim conflatur ex actu & ex objecto. Licèt ergo actus eſſentialitèr habeat repræſentare objectum; non proptereà verus dici poteſt aut falſus, niſi in quantum objectum eſt aut non eſt eo modo quo repræſentatur: hoc autem quod eſt *eſſe vel non eſſe tali modo*, eſt extra actus eſſentiam, eique accidentarium.

CAP. VIII.

Utrùm Veritas & Falſitas ſuſcipiant magis & minus.

77. PRo exactiori dictorum explanatione, perſequimur inceptam materiam, atque à veritatis falſitatisque eſſentia, ad gradus deſcendimus. Sunt autem qui in limine hujus conſectariæ quæſtionis pro certo ſupponant, poſſe unam veritatem eſſe aliâ magis neceſſariam: v.g. hæc *Deus exiſtit*, magis, ajunt, neceſſaria eſt quàm hæc alia, *Petrus currit*; eo quòd prior falſa eſſe non poſſit, poſterior poſſit. Quibuſcumque

ta-

tamen ſic diſcurrentibus advertendum eſſet, quòd etſi *Petrum currere*, abſolutè ſit contingens; factâ tamen hypotheſi quod currat, eſt quidpiam neceſſarium: nam quicquid eſt, quandiù eſt, neceſſe eſt eſſe: atqui ſuppoſitâ veritate illius propoſitionis, ſupponitur Petrum currere; ergo æquè neceſſaria eſt talis veritas, ac eſt alia, *Deus exiſtit*.

78. Solùm itaque præſupponere oportet quod ſuperiùs inculcavimus, veritatem ſcilicet in perfecta conformitate: falſitatem in difformitate actus cum ſuo objecto conſiſtere. Quo ſtante dubitatur, an unus actus, ſeu dicas, propoſitio, alio vel aliâ verior aut falſior eſſe queat. Ariſtoteles *4. metaph. tex.* 18. eodem modo videtur loqui de veritate ac de falſitate: ex eo enim quòd unum ſit altero falſius, infert unum eſſe altero verius. Ego autem cenſeo, aliter de falſitate ac de veritate philoſophandum. Quare ſit

Prima Propoſitio. Repugnat unam propoſitionem eſſe aliâ veriorem.

79. Probatur evidenter ex præcedentibus: nam veritatem in omnimoda con-

for-

formitate, & perfecta adæquatione actus cum objecto ſitam eſſe docuimus *capite ſuperiore*, & iteratò hic ſuppoſuimus: ſed hujusmodi conformitas & adęquatio non ſuſcipit magis & minus ; ergo in adjecto implicat, unam propoſitionem eſſe alterâ veriorem. Minor liquet, nam conformitas omnimoda , ſive perfecta adæquatio conſiſtit in indiviſibili: unde ſi duæ quantitates aliquem vel minimum paterentur exceſſum, hoc ipſo non eſſent uniformes & æquales.

80. Hinc emendandus venit vulgaris loquendi modus, quo paſſim una ſententia alteri collata *Verior* nuncupatur: hujusmodi ego *Probabiliorem* potiùs quàm *Veriorem* dixerim; eo quòd probabilitas, utpotè conſiſtens in pondere & numero rationum, augeri poſſit, & minui. Tolerabimus nihilominùs aliquando loquendi uſum, dummodò de ſenſu conſtet , & nullum, præter vocis ſpiritum , uni ſententiæ veritatis augmentum acceſsiſſe præſumatur.

81. Dices: Hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, magis eſt conformis cum ſuo objecto,

ęto, quàm ſit alia, *Petrus eſt animal*: ea enim adæquatè, hæc ſolùm inadæquatè conformatur; ergo prior eſt verior poſteriore. Sed contrà eſt, quia non oportet actum cum objecto conformari ſecundùm id totum quod eſt à parte rei, ſed ſcundum id ſolùm quod affirmatur: ut ſic verò æquè conformis ſuo objecto eſt propoſitio aſserẽs Petrum eſse *Hominem*, ac eſse *Animal*.

Altera Propoſitio. De objecto indiviſibili repugnat propoſitio falſior aliâ; ſecùs de diviſibili.

82. Prior pars ſequitur ex dictis: nam ubi objectum eſt indiviſibile, implicat propoſitionem partìm ei conformari, & partìm difformari; ergo aut erit omninò vera, aut omninò falſa; verbi causâ cùm dico, *Petrus non exiſtit*, datâ exiſtentiâ, eſt ſimpliciter falſa; non datâ exiſtentiâ, eſt ſimpliciter vera propoſitio: eadem itaque ratione quâ repugnat eſse magis aut minùs veram, repugnat eſse magis aut minùs falſam.

83. Probo alteram partem. Tunc una propoſitio eſt magis falſa, cùm eſt ſuo objecto magis difformis; ſed quando obje-

ctum

ctum eſt diviſibile, poteſt una propoſitio eſſe illi magis difformis; ergo & magis falſa. Minor liquet, nam ubi objectum habet partes & partes, poſſunt unâ propoſitione plures, aliâ pauciores affirmari; quæ autem pauciores affirmat, eſt utique ſuo objecto magis difformis.

84. Declaratur exemplo Ariſtotelis: *Nec enim* (inquit *loc. ſupra cit.*)*eodem modo mentitus eſt, qui quatuor eſſe putet quinque, ac qui mille*: hoc eſt exiſtentibus v. g. in templo quinque hominibus, Petrus aſſerit eſſe quatuor, Paulus verò ait eſſe mille: profectò hic magis à veritate recedit; ergo ejus propoſitio magis falſa dicenda eſt.

85. Objicies. Utrique ex his propoſitionibus æquè cõvenit privatio veritatis, & tàm errat qui dicit eſſe quatuor, quàm qui mille; igitur una propoſitio non eſt alterâ falſior. Antecedens patet, quia veritas conſiſtit in eo quòd objectum ità ſe habeat ſicuti enuntiatur; ambæ autem propoſitiones prædictæ conveniuut in hoc, quòd earum objectum alitèr ſe habeat ac enuntiatur.

Hanc

Hanc arguendi formam ineptam produnt inſtantiæ plurimæ. Omnibus ſubjectis albis æquè convenit hoc quod eſt *diſgregare viſum*; & tàm diſgregat quod eſt album ut quatuor, quàm quod ut octo. Similitèr Petro exiſtenti Conſentiæ & Paulo Neapoli, æquè convenit hoc quod eſt *Non eſſe Romæ*; & tàm non eſt Romæ Petrus, quàm non eſt Paulus. Igitur ſubjectum album ut octo non erit magis album ſubjecto albo ut quatuor; nec Petrus magis quàm Paulus ab Urbe diſtabit.

86. Diſtinguendum eſt itaque antecedens argumēti: Illis propoſitionibus æquè convenit privatio veritatis *eſſentialitèr*, conceditur antecedens; *gradualitèr*, negatur. Similitèr concedendum eſt *Tàm* errari in una, *Quàm* in alia; negandum, errari *Tantùm* in una, *Quantùm* in alia erratur: ex quo etiam patet ad probationem. Sicut ergo reperitur gradualitas ſub Albedine & Diſtantia, ità ſub Receſſu à veritate.

87. Objicies iterùm. Una propoſitio non poteſt dici verior aliâ, etiamſi objectum ſit diviſibile; ergo neque falſior.

Non

Non enim eſt ratio, cur propoſitio quæ difformatur pluribus partibus objecti, dicatur *Falſior*, & quæ pluribus conformatur, non dicatur *Verior*. At diſparitas eſt aperta; ideò enim propoſitio, quæ pluribus partibus objecti conformatur, non eſt verior eâ quæ paucioribus, quia hæc nullo modo vera eſt; cùm ad veritatem exigatur totalis conformatio; ad falſitatem autem ſufficit quòd ſit partialitèr difformis objecto ſuo, & ideò quæ diſſonans eſt paucioribus partibus, eſt minùs falſa eâ quæ pluribus. Ratio eſt, quia bonum habetur ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus.

88. Inſtabis: Propoſitio quæ magis diſtat à veritate, dicitur magis falſa; ergo quæ magis diſtat à falſitate, dicenda eſt magis vera. Hæc etiam paritas nulla eſt, quia privatio menſuratur à forma privata, & per habitum cognoſcitur, ut docet Ariſtoteles *3. de ani. tex.25.*; non item forma à privatione. Et ratio eſt, quia omnis affirmatio prior eſt negatione, ut idem docuit *2. de Cœlo tex.18.*; cùm ergo falſitas ſit privatio veritatis, non erit magis aut mi-

minùs vera propoſitio, ex eo quòd magis minusvè à falſitate diſtet: immò implicat contradictionem, quòd propoſitio ſit vera, ob majorem aut minorem dictam diſtantiam, cùm debeat totalitèr atque omnimodè diſtare, ut vera dici poſſit.

CAP. IX.

Sitne falſitatis, aut alterius defectus capax Apprehenſio ſimplex.

HIs autem ſobriè delibatis, ad ipſas mentis operationes, quæ ſunt veritatis falſitatisque ſubjectum, retrocedimus: cùmque ex concluſa *num.* 60. ſenſuum infidelitate, errores & vitia intellectus humani manifeſtè comperta maneāt; illud reliquum eſt, ut videamus, quibusnam ſpeciatim mentis functionibus, certiora imminent vitiorum incommoda.

89. Atque ut à ſimplici Intelligentia propoſitum titulo ſcrutinium ordiamur, ſupponendum eſt iterùm ex nuper

dictis

dictis *cap.7.* Veritatem cognitionis conſiſtere in conformitate actus cum objecto; Falſitatem verò in difformitate ejusdem. Secundò ſupponimus, ſimplicē apprehenſionem non debere conformari cum objecto terminativo, ſed cum motivo tantùm: æmulatur ſiquidem naturam ſenſuum, præſertim viſionis ocularis, cujus non eſt attendere, quomodò objectum ſit in ſe, ſed qualiter per ſpecies proponitur, ut jam diximus *cap.6.à nū.56.* Quibus ſuppoſitis,

Sit *Prima Propoſitio.* Simplex apprehenſio ſaltem incomplexa, falſitatis eſt incapax.

90. Probatur. Ille actus qui nequit cum ſuo objecto eſſe difformis, nequit utique eſſe falſus: ſed ſimplex apprehenſio incomplexa nequit cum ſuo objecto eſſe difformis; ergo nequit eſſe falſa. Major patet ex primo Suppoſito: Minor ex ſecundo; ſiquidem ſimplex apprehenſio attingit objectum præcisè ſecundū quod proponitur; atqui ſemper proponitur ut apprehenditur, quamvis non ſemper ità exiſtat; ergo ſimplex apprehenſio ità eſt conformis, ut nunquam cum ſuo objecto

N difſor-

difformis eſſe queat.

91. Hoc ſenſu puto eſſe intelligendum P. Emmanuelem Maignan *cap. 1. Philoſ. Ratioc.num.* 14. ubi à priori probare nititur, apprehenſionem incomplexam non poſſe eſſe difformem objecto apprehenſo *ſecundùm quod apprehenditur, quia alioqui non eſſet ejus apprehenſio.* Si enim alitèr intelligeretur, identica eſſet probatio, & evinceret etiam judicium falſitatis incapax fore: quia ſicuti apprehenſio, cùm alicujus debeat eſſe apprehenſiva, nequit eſſe difformis objecto apprehenſo ſecundùm quod apprehenditur, alioqui non eſſet ejus apprehenſio; ità judicium cùm ſit paritèr alicujus judicativum, nequibit eſſe difforme objecto judicato ſecundùm quod judicatur, alioqui non eſſet judiciũ, contra hypotheſim.

92. Dices: quomodolibet intelligatur, ſemper ſequitur judicium fore incapax falſitatis; nam ſicuti apprehenſio ſiſtit in objecto motivo, nec pergit ultra terminos puræ repræſentationis; ità ſimiliter judicium. Neque enim alitèr intellectus judicat, niſi quatenus ex parte objecti repræ-

ſen-

ſentantur motiva judicandi.

Sed negatur paritas: etenim ad judicium ſpectat attendere, quemadmodum objectum ſit in ſe,& non tantùm quemadmodum appareat: quinimò apparentiam ipſam, ſi inveniatur rationi repugnans,tenetur negligere, & ſenſuum perceptiones emendare, juxtà quintam regulam exponendam *lib.3. cap. 6. à n. 65.* ſecùs dicendum de ſimplici apprehenſione.

93. Inſtabis: Dubitatio eſt ſimplex apprehenſio, & nihilominus attendit quomodò objectum ſit in ſe, cùm utriuſque partis motiva perpendat; ergo nulla diſparitas. Reſpondetur negando ſuppoſitum ex dictis *cap.3. n. 25.* ubi notavimus, examen motivorum non eſſe actum dubitativum, quem reducendum duximus ad ſimplicem apprehenſionem, ſed certò judicativum.

94. Colliges contra Ariſtotelem *Prædic.cap.5.* & alios multos, ſimplicem apprehenſionem incomplexam non tantùm excludere falſitatem, ſed includere ulteriùs poſitivam veritatem: utrumque enim evincit adducta ratio. Quòd ſi à pari in-

feras, capacem fore falſitatis, ſi veritatis eſt capax, eo quòd contrariorum eadem ſit ratio; negabimus ſequelam, nam ignis eſt capax caloris, nec propterea eſt capax frigoris: cognitio divina capax eſt veritatis, & incapax falſitatis. Ergo tunc verificatur axioma, cùm ſubjectum non eſt uni formæ eſſentialitèr addictum: quapropter probare Adverſarius debet, ſimplici apprehenſioni eſſentialem non eſſe veritatem, quod eſt in quæſtione.

95. Quæres jam, quid ſit dicendum de apprehenſione complexa? P. Maignan *loc. ſup. cit. n.* 15. docet ſimplicem apprehenſionem complexam eſſe quodammodo capacem falſitatis, quatenùs per eam poteſt apprehendi implicitè copula *ut exiſtens*, quæ tamen non exiſtit; vel è contra ut *non exiſtens*, quæ exiſtit. Apprehenſio autem incomplexa præſcindit ab exiſtentia, & à negatione exiſtentiæ: unde ſive exiſtat objectum, ſive non, erit ſemper objecto conformis apprehenſio.

96. Verùmenimverò attento pondere ſuperioris probationis, utramque apprehenſionem à falſitatis labe liberaverim.

Quam-

Quamquam enim copula ubi revera non exiſtit, exiſtens apprehendatur; parùm id ad falſitatem inducendam refert, cùm nõ ſit ſimplicis apprehenſionis, realem, ſed apparentem dumtaxat exiſtentiam attendere, realiſque objecti ſtatus ſit extra ſphæram ſui. Benè id capitur exemplo oculi, qui citra falſitatis ſuſpicionem, attingere poteſt ordinem inter objecta, inter quæ nullus ordo exiſtit, vel nullum percipere, ubi realis intercedit.

Secunda Propoſitio. Simplex apprehenſio, ſive complexa, ſive incomplexa, aliis etiam poteſt defectibus ſubjacere.

Suadetur, nam primùm ſubeſſe poteſt confuſioni, quæ non levis eſt defectus & imperfectio: cùm enim apprehenſio ſequatur naturam ſpeciei ab objecto immiſſæ, conſequens eſt ut quæ verſatur circa plura objecta confuſa, confuſa paritèr ipſa ſit: quemadmodum confuſa eſt viſio, quæ fertur in litteras veluti permixtas in pagina, aut milites in exercitu. Ulteriùs obnoxia eſt ignorantiæ, inordinationi, dubietati, aliiſque imperfectionibus, ad quas utcumque tollendas, primus Dialecticæ

liber communiter dirigitur. Neque verò incapax oportet eſſe defectûs, quod eſt incapax falſitatis: ſiquidem cognitio pręciſiva animalis de longè viſi, nullam exprimens differentiam, & abſtractiva cognitio Dei, omniſque alia cognitio confuſa de objecto ut eſt in ſe, veritatem habet; nec tamen à defectu & imperfectione eſt immunis. Quibus ſanè defectibus, & inſuper falſitati, aliæ pariter operationes obnoxiæ ſunt.

LIBER III.

DE FONTIBUS
Mentalium vitiorum.

1 COgnitâ ſatis , quantùm præſens materia poſtulabat, naturâ humanarum cognitionum , deprehenſiſque generatìm erroribus,in quibus variè offendere poſſumus ; operoſiorem omnibus dictis aggredimur provinciam , perquirentes eoſdem errores quodammodò in particulari cum ſingulis cauſis & occaſionibus ſuis : quarum certè venatio adeò arduum,ut fatear , & grave negotium ingerit, ut Scriptores reliquos nobis longè ſolertiores , ſi quando illis eadem hæc occurrit cogitatio, perterrefecerit . Nam ſi rerum quarumlibet , maximèque earum quæ intra animi ſinum inſcrutabilem deliteſcunt , naturas cognoſcere difficile admodum eſt;quantò difficilius erit,proprie-

tatum & paſſionum illis inſidentium, modorumque agendi diverſorum cauſas quęrere & explorare, ubi indifferenter de omnibus ſapiens ille Vates pronuntiavit: *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas?* Qualiſcumque verò res ſit, cùm uberrimum fructum ſpondeat, aliquot ſaltèm magis obvios, ſed tamen minùs accuratè à Vulgo penſitatos intellectualium defectuum fontes, ab aliis poſtmodùm eruditis Magiſtris pleniùs recenſendos, oportet nos Dei ope attingere, ac tyronibus indigitare: quatenùs iis prævißs, aut fortè etiam occluſis, vitia ipſa, quod noſtrum eſt inſtitutum ſtudiumque, declinentur: perſpectâ enim morbi cauſâ, remedia per artem parari facilè poſſunt.

CAP. I.

De Naturæ humanæ imbecillitate.

2 ERgo fontes & ſcaturigines, ex quibus humanarum cognitionum vitia

tia ac defectus effluere ſolent, plurimæ ſunt; eæque in duo genera diſtingui poſſunt: aliquæ enim ſunt naturales & veluti neceſſariæ, atque tales difficilè impedibiles; aliquæ contingentes aut voluntariæ, ſubindèque impedibiles, adhibitâ diligentiâ. Ad primam claſſem pertinet noſtræ mentis imbecillitas, naturæque corruptio: nam creata omnis potentia, quatenùs creata & dependens, defectibilis omninò eſt, & imperfectionibus variis involuta; multòque magis in hominibus facultas intellectiva, quæ eſt valdè debilis & infirma, terminiſque anguſtiſſimis circumſcriptam virtutem habet: quamobrem ſi creatæ ſuæ immemor naturæ, liberam per objecta quælibet evagandi licentiam uſurparet, in errorum præcipitia ſæpiſſimè collaberetur.

3. Imperfectæ huic & ſuaptè naturâ defectuoſæ hominum conditioni, ſucceſſit alia ex originali peccato gravior infirmitas, conſiſtens ex Auguſt. *lib. de nat. & grat. cap. 19.* in malitia voluntatis, in effrænitate concupiſcentiæ, in iraſcibilis appetitus motu, & demùm, quod caput

eſt,

eſt, in intellectus ignorantia, cujus causâ in multis decipimur, innumerasque notitias prætcrimus, quas in ſtatu innocentiæ minimè præteriſſemus. Atque hoc eſt quod docuit Beda in *cap. 10. Lucæ* ſub parabola hominis deſcendentis ab Hieruſalem in Hierico, qui incidit in latrones, & plagis impoſitis, illum deſpoliaverunt: nempe poſt lapſum Adæ, primum ipſum cum tota ſua poſteritate parentem remanſiſſe ſpoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus. Quare ut Voluntas facta eſt ad malum prona, ſic quoque Mens erroris ſemper periculo ſubjecta.

4 Sic breviter propoſita, & veluti fide divina ſtatuta dogmata, haud video certè qui in dubium vertere poſſit, uno dempto Carteſio, qui de Principiis humanæ cognitionis agens, fidenter aſſerit *Lumen naturæ, ſive cognoſcendi facultatem à Deo nobis datam, nullum unquam objectum poſſe attingere, quod non ſit verum: alioqui deceptor, inquit, eſſet dicendus Deus, ſi perverſam illam ac falſum pro vero ſumentem nobis dediſſet.*

5. Sed his, ut veniâ tanti Doctoris loquar.

quar, præter ea quæ proximè dicta ſunt, ipſa refragatur experientia, docens mentem nobis à Deo datam falſum pro vero identidem cognoſcere: quod cum negare non potuiſſet Carteſius, idemque ei objeciſſet Gaſſendus cum Merſenno; culpam primò conjecit in neſcio quod *Nihilum*, cujus nobis idea quædam obverſetur, & ex quo omnes participemus: Quãnam autem nihili ideam habeamus, & quomodo ex nõ ente participemus, explicat dicens, aliud hoc non ſignificare, *quàm nos non eſſe ſummum ens, & nobis deeſſe quamplurima.*

6. Secundò reſpondet idem Carteſius, *errorem ineſſe in ipſa operatione, quatenus à te procedit, & privatio quædam eſt; non in facultate, quam à Deo accepiſti, neque etiam in operatione, quatenùs ab illo dependet.* Subditque, *neque eſſe cur conquerare, quòd tecum concurrat ad errandi actum; cùm actus omnes ſint veri & boni, quatenùs à Deo dependent; privatio autem, in qua ſola falſitatis & culpæ eſt ratio formalis, concurſu Dei nullo indigeat.*

7. Tertiò ait, tunc nos decipi, falſumque

que ut verum percipere, cùm claram diſtinctamque rei notitiam non habemus; quotiès verò voluntatem in judiciis ferendis ità continemus, ut ad ea tantùm ſe extendat, quæ illi clarè & diſtinctè ab intellectu exhibentur, fieri planè non poteſt ut erremus: unde & inſtruit Veritatis criterium ſub his verbis: *Jam video pro regula generali poſſe ſtatuere, illud omne eſſe verum, quod valdè clarè & diſtinctè percipio.* Sic profectò ratiocinatur *initio Meditationis tertiæ, in diſſertatione de Methodo*, atque alibi paſſim.

8. Aſt ad primum quod attinet, prætcrquamquòd vix poſſit intelligi dari ideã ſine objecto, & imaginem nullius rei repræſentativam: item nos qui quidpiam poſitivum ſumus, conſtitui ex non-ente quod non ſumus; inutilis eſt ejus ſpeculatio ad excuſandam cognoſcendi facultatem à falſitate, & Deum, alioqui veraciſſimum, à deceptione: nam ad quodcumq; caput error mentis referatur, certum erit errare, ſeu objectum aliquod falsò poſſe attingere; cùm tamen Deus qui illam condidit, potuiſſet adeò perfectam in ſuo genere

nere conſtituere, ut nulli eſſet errori obnoxia.

9. Ad ſecundum inſtamus cum Gaſſendo, quia licèt non ſit error in facultate à Deo accepta proximè, eſt tamen remotè, quatenùs cum ea imperfectione creata eſt, ut errare poſſit: inſuper ſi non concurrit Deus ad privationem, quæ eſt in actu, concurrit tamen ad actum, ad quem ſi non concurreret, privatio non eſſet.

10. Ad tertium argumentor contra, nam ſi id omne & ſolum eſt verum, quod diſtinctè & clarè percipitur, adeòut tantum in rebus eſſe credamus, quantum ipſi clarè & diſtinctè concipimus; Mens ipſa hominum erit unica veritatis magiſtra & menſura rerum, regulaque infallibilis ſciendi, ſua cuique cogitatio: quodvaldè alienum videtur à ſinceris Chriſtianę Philoſophiæ principiis, edocentibus nos nihil magis in ſcientiarum aggreſſu curandum eſſe, quàm ut vanam hujusmodi ab humanis cordibus præſumptionem extirpemus, cùm non à nobis pendeat rerum exiſtentia, nec ſit ex cognitione objectũ, ſed ex objecto cognitio dimetienda.

11. Et

11. Et ſanè cùm multi, viſis ſuo judicio circumſpectiſque omnibus, putēt ſe habere claram diſtinctamq; rei notitiam, cùm non habent; multi non habere cũ habent; multiq; tandē ſint qui putant ſe eam habere, & reipsâ habent, ac nihilominùs fallũtur, uti accidit præcipuè in incantationibus & præſtigiis, ſuperantibus omnem naturalem hominum diligentiam: quî, ad. precor, fieri poterit, ut claritas diſtinctioque notitiæ verum à falſo diſcernat? Præterea ad rerum veritatem concludendam, non ſemper geometricæ demonſtrationes facientes metaphyſicam evidentiam quærendæ ſunt, ſed probabilibus rationibus & conjecturis, ubi permultæ concurrunt, faciuntque ſummam veriſimilitudinem, quandoque contenti erimus. Sic cùm plurimi loco & tempore diſſiti, ideoque minimè de conjuratione ſuſpecti, in facto aliquo & circumſtantiis enarrandis, adamuſſim conveniunt, & mirabiliter concordant, ſtultum eſt majora veritatis argumenta poſtulare. Quòd ſi tantum humanis teſtimoniis deferendum eſt, quid dicemus de iis quæ ad fidem divinam per-

pertinent? Anne in firmanda myſterio-rum hujuſmodi certitudine, evidentiam exigemus, cujus vel nomen ipſum fidem deſtrueret? Igitur non id ſolùm pro vero univerſaliter habendum videtur, quod valdè clarè & diſtinctè à nobis perceptum fuit.

12. His tamen miſſis tanquam ad ſcopum noſtrum impertinentibus, ubi docet Carteſius deceptorem fuiſſe futurum Deum, ſi errorum umbris lumen naturæ ſubjeciſſet, videtur plus velle ſapere quàm oportet; velimq; parciùs de ſupremo Numine diſcurreret, & religioſiùs de ejus majeſtate ſentiret. Neque enim abſolutus omnium Dominus legibus ullis, hominumque reprehenſioni aut ferulæ ſubditur, quòd non dederit intellectum omniſcium atque indefectibilem, qualem ipſe habet: *Quis enim* (ut ait Apoſtolus ad Rom. 11.) *priùs dedit illi, & retribuetur ei?* Novit eximius Doctor Renatus hanc veritatem, cùm conſcientiâ motus, cõfeſſus eſt, *Te non poſſe rationem afferre, quâ probes Deum tibi majorem cognoſcendi facultatem quàm dederit, dare debuiſſe: atque quan-*

tumvis

tumvis peritum artificem eſſe intelligas, non ideò te tamen putare illum in ſingulis operibus omnes perfectiones ponere debuiſſe, quas in aliquibus poteſt ponere. Sed utinam confeſſio cohæreret cum doctrina.

13. Et verò, quicquid demùm ille ſenſerit, ratio adducta ſolùm probat, nativam facultatem cognoſcendi non debuiſſe ab intrinſecis eſſe errori deſtinatam, adeout ſemper falſum inevitabiliter habeat attingere, juxtà ea quæ diximus ſuperiore *libro, cap.6.n.*64. Cæterùm poſſe aliquando errare, fert ipſa creati Entis conditio defectibilis; nullaque per hoc irrogatur injuria primæ cauſæ, quæ ſicut patitur in mundo ſeù permittit in hominum voluntate malitiam, ſic pati poteſt permittere in intellectu errorem. Quòd ſi in hunc frequentiùs trahitur, quàm veritatem adipiſcatur, culpa fuit hominis peccantis, non Dei Opt. Max. facultatem præfatam tribuentis. Indiderat namque illi benigniſſimus Conditor mentem rectam, ab omnique actuali falſitate & errore liberam, ut legimus *Eccleſiaſtes 7.* & alibi: quam utique rectitudinem etiam-

num

num fortè tenerent homines, niſi in culpæ originalis pœnam amiſiſſent. Hic verò lapſus expoſtulavit, ut confuſo recto ordine potentiarum, internæ facultates procliviores fierent ad ſequenda objecta ſenſibilia quàm intelligibilia, quod multorum errorum radicem eſſe, dicam infra *cap.7.*

C A P. II.

De aliis vitiorum cauſis, ordinem cùm natura, tùm fortuna concernentibus.

14. SIc ergo apertis fontibus communibus, unde errandi copia hominibus facta eſt, in eorumque mentes irruit infectio generalis; peculiares quoſdam ex natura primùm, tùm ex fortuna promanantes in ingeniorum perniciem rivulos aperire & patefacere debemus. Et quod attinet ad naturæ ordinem, fatendum eſt indè oriri principaliter in multis intelligendi difficultatem, vel confuſam,

pravam, imperfectamque rerum perceptionem, quòd imperfecto organo phantaſiæ, & inconvenienti corporis temperie prædití ab ipſa conceptione ſint. Cùm enim anima pro præſenti ſtatu ſit corpori alligata, ut nullum ſine hujus motu, & animalium ſpirituum cerebro inſidentium miniſterio, actionem obire queat, ex dictis præcedenti *libro cap. 5. num. 44.* conſequens eſt, ex incongruo phantaſiæ organo, & ex alterata humorum ſpirituumque temperie, aciem mentis obtundi, & functiones illius notabiliter depravari, ut patet in fatuis, ebriis, ac furioſis, quibus integras animæ functiones interturbat una temperamenti mutatio. Inſuper licèt animus intelligere aliqua poſſit abſq; prævia eorum imagine repræſentata per ſenſus, ut docuimus *loc. cit. n. 45. & ſeq.* regulariter tamen loquendo, pauciſſima intelligimus, quorum priùs phantaſmata & imagines oblatæ nobis non fuerint. Quamobrem ſi contingat ex impropria ſubjecti diſpoſitione, ſeu organi intemperie confuſam fieri in cerebro impreſſionem, & minùs rectè phantaſmata exhiberi, nulla clara

ra & diſtincta, nec veritati rei conſona intellectio ſperari poterit.

15. Qualis autem oporteat eſſe interni organi ſtructura figuraque mentis actionibus idonea, necnon diſpoſitio & temperamẽtum ingenio accommodatum, non eſt noſtrum hoc loco determinare. Legatur Ariſtoteles in *Phyſiogn. cap. 9.* ubi probat mediocre aut grandiuſculum cerebrum, in cujus vẽtriculis agitari commodè valeant ſpiritus, ingenii operationibus aptiſsimum eſſe: è contra verò parvum habentes caput, & per conſequens perexiguum cerebrum, inſenſatos eſſe. Idem Philoſophus *probl. 5. ſect. 30.* apertè docet, melancholicum humorem, atramque bilem plurimùm ingenio conferre: id quod forsã intelligitur de humore moderato, & qui cerebro non ſit eſſentialis. Legi etiam hac de re poteſt Galenus *lib. quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, cap. 4.* ubi expreſsè ait intellectum gaudere ac perfici ſiccitate, obtundi autem ab humiditate. Quibus addo iterùm ex Ariſtotele *7. phyſic. tex. 20.* nimiâ frigiditate animum torpere, intenſo

calore, temerarium & furioſum evadere; vel, ſi quidē cum copioſa humiditate calor conjunctus fuerit, ſocordem ſtupidumque fieri, ob facilem fumoſitatum ad caput ſalientium evaporationem.

16. Atque hæc ſatis de interna cauſa naturali defectuum noſtræ mentis. Nunc alias quaſdam exteriores, ordinem naturæ ſimiliter concernentes perſequamur; quarum prima eſt intemperies aëris, nec non clima, ſitus locorum, aliaque hujusmodi, quæ aërem ipſum alterare poſſunt. Nam tales regulariter gignuntur in nobis ſpiritus, ad vitam aut intellectionem neceſſarii, qualis eſt aëris, in quo vivimus, inſpiratio: Undè ſub aëre craſſo v.g. frigido aut nubilo, craſſi pariter ac velùt frigidi torpidique, & ad motus animę inertes generabuntur ſpiritus; ſub aëre verò aliter tēperato, ſubq; quod idem eſt, diverſo climate, vel ſi mavis, alia Planetarum influentia, alios quoque ſpiritus, diverſaſque ſubindè activitates, habilitateſque ad ſtudia, non minùs quàm corporis vires, & mores animi varios emergere conſpiciemus; itaut quidam populi in-

ſpe-

ſpeculabilibus valeant, & ad mechanicas diſciplinas inepti ſint; alii è contra in his mirabiliter excellant, & ad contēplativas ſcientias inhabiles prorſus inveniantur. Quod totū agnoviſſe Tulliū, legimus 2. *de natura deor.* ubi, *Acutiora, inquit, ſunt ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër ſit purus ac tenuis, quàm illorum qui utuntur craſſo cœlo atque concreto.*

17. Secunda cauſa eorundem defectuum eſt origo à rudibus aut vitioſis parentibus: nam filii ut plurimùm naſcuntur generanti ſimiles, nedum in proprietatibus & complexionibus corporis, verùm etiam in dotibus & facultatibus animi. Et quidèm corporeæ formæ ſimilitudo apertè conſtat experientiâ hominum & brutorum, quæ & colores, & characteres, & vires, & membrorum ferè ſingulorum figuras imprimunt in ſuis filiis; unde eſt quòd de una vel altera ſtirpe equi in pretio habeantur, ex alia verò progeniti, minoris venditentur. Idipſum conſtat de inſtinctibus, geniis, indole, moribusque hominum generantium, qui (ſic exigente naturæ in-

tentione)ſeu phātaſiæ opere,ſeù formatricis facultatis in ſemine vigore, ſeu lactis denique virtute, eadem liberis non monſtroſis plerumque transfundunt. Quapropter nihil mirum,ſi ab hebetibus, ſtolidis, ac rudibus ingenio parentibus (niſi forſan id applicationis defectus, infirmitas, accidensque aliud extrinſecum effecerit) hebes, rudis, ac ſtolida proles procreetur: etenim juxtà naturæ legem, *Arbore de vili vilia poma cadunt.*

18. Tertia cauſa vitiorum mentalium eſt inconveniens victitandi ratio: idque & quoad cibum,& quoad potum: nam cibi,ut dicuntur, groſſi vel craſſi, durioriſq; ſubſtantiæ & difficilis concoctionis, vel ſanè humidioris calidiorisve qualitatis, craſſum groſſumq; ut ità loquamur, ſanguinem gignunt, turbidaſq; fumoſitates ad caput elevant: ſimilitèr cibi quantitas immoderata (niſi fortè peculiaris ſtomachi complexio eam patiatur) ſpiritus opprimit, & ineptos tùm corporis tùm animæ officiis reddit. Eadem damna infert potus parùm correctus & temperatus: nam (factâ, ut ſuprà, nonnullorum exceptio-

ptione) copioſum & generoſum vinum vapores multos ſursùm extollens, cerebrum ſtupefacit, ſpiritibus ſoporem aut furorem inducit, & mentis lucem obtenebrat: id quod longè ante nos docuit Leo Magnus *ſerm. 8. de Jejunio 8. menſis.* ubi: *Quotidiano experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari.* Aqua etiam quam bibimus, & qua cibos decoquimus, ſi ex paludibus, pinguibusque, aut non perſpiratis locis hauriatur, ut corporis valetudini nocet, ſic & ingenii perſpicaciæ.

19. Extant aliæ intra naturæ ambitum cauſæ effectuum præfatorum: ſed fortunæ ordo nos vocat ut pauculas hujus generis expendamus. Quodque primò videtur ingenia vitiare, fatuaque planè & inconſulta reddere, eſt, ut docet *Ariſtoteles lib 2. Rhetor. cap. 16.* & alibi, divitiarum affluxus: vel ſanè quòd nimia commoda ſtudiorum labores, & contemplationum vigilias ad acuendam excolendamq; mentem neceſſarias, minimè patiantur; vel quòd corporis voluptates, quibus divites

indulgentiùs dedi ſolent, animum corrumpant; vel demùm, ut notabimus *cap. 8. n. 91.* quòd opulentia & proſperitas, arrogantes præſumentesque, velut in omni diſciplina & arte peritos ſtatim efficiat. Contrà verò ſumma egeſtas, & rei domeſticæ penuria generoſos ſpiritus obruit, vires mentis proſternit, ingenium, alioqui elevatiſſimum, opprimit dejicitque, & moliendis egregiis operibus vilem ſæpè & ignavum facit. Cùmq; litterarum otia animum tranquillum deſiderent; vix illis vacare momento poterit qui aut ſuorum afflictione, aut creditorum moleſtiâ, aut quærendi victûs ſollicitudine, aut aliis denique adverſæ fortunæ ventis quotidie exagitatur. Quæ cùm ita ſint, nonniſi optimo jure Sapiens *Prov. cap. 30.* Dominum rogabat dicens: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria.*

20. Fortiùs obſtant ingenio, viresque illius infringunt ægritudines & morbi corporales: nam propter arctam, quam aliàs inculcavimus, animæ & corporis colligantiam, hujus paſſio & corruptio, eſt

illius

illius paritèr aggravatio, ut utar verbis Sapientiæ *cap. 9.* aut Lyrici Vatis *ſerm. lib.* 1. ubi:

Sic corpus onuſtum
Extremis vitijs, animum quoq; prægravat unà.

Et profectò quo amore ac delectatione poteſt quis ſtudiis animum adjungere; vel quomodò mentis munia rectè exequetur, ubi (ut mihi ipſi ſcribenti evenit) aut cum morte decertat, aut aſſiduis doloribus excruciatur? Certè hic ea tantùm inquiret, & in illorum ſolummodò cogitatione defixus permanebit, quæ valetudini recuperandæ conducibilia utcumque judicabuntur. Quòd ſi morbi tales fuerint, ut caput & cerebrum immediatè afficiant, puta mania, lethargus, phrenitis, emicrania, apoplexis, ſpasmus, epilepſia, cephalea, & ſimiles: tunc impos animi ægrotus fiet, & nullam peragendarum functionum mentis ſuſcipiet diſciplinam. Eosdem penè infelices effectus inferunt animo calamitates, ærumnæ, perſecutiones, inimicitiæ, & id genus alia, quæ in præſenti lacrymarum valle occurrunt,

runt, infortunia: quatenùs illum vehe-mentèr diſtrahunt & conturbant; litterarumque, quòd fortè invidiam & æmulationem, horum malorum genitricem, concitârint, ingenerant quoddam odium & faſtidium.

21. Reliquas (quæ verè multæ ſunt, præſentemque plus æquo protenderent ſermonem) à fortunæ ordine & diſpoſitione pendentes cauſas, ſilere pro modò volumus, remittentes Lectorem ad eruditiſſimum virum Joannem Imperialem tribus libris *de humano ingenio*. Illud tamen digno ſilentio non poſſumus præterire, quòd pravâ educatione vel conſuetudine, perversâque hominum ſocietate & amicitiâ, ſensìm mirumq; in modum depravetur ingenium, atque in eorum tranſeat naturam, cum quibus frequentèr agimus, & familiaritèr converſamur: quod egregiâ ſimilitudine probavit moralis Philoſophus *lib.3.de Ira.cap.7.* nam *ut quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit*. Peſſimè quoque alicui fortuna ſuccedet, ſi de impiis informatoribus, vel ſciolis & inexer-

cita-

citatis magiſtris in litterario ludo proviſus fuerit, aut ſub falſa religione naſci & enutriri contigerit: quippè eaſdem & ipſe impietates hauriet, eoſdemq; reſpectivè imbibet errores, quos in aliis deprehenderit.

CAP. III.

De prima ætatis Præjudiciis.

22. Atque hinc jam tangere cœpimus aliam, fortaſſis ut præteritæ, involuntariam & inculpabilem intellectualium malorum cauſam & originem, conſiſtentem in infantiæ aut adoleſcentiæ præjudiciis, anteceptiſque opinionibus. Quæ tamen cauſa fuſiore diſcurſu proſequenda eſt, & non ſemèl commemoranda: ut venenum ex illa manans, quod eò periculoſiùs, quò occultiùs ſerpere in mentes & corda hominum ſolet, aliquandò præcaveatur; deturque locus regulis aliis & doctrinis in hoc opere tradendis: nã *Fruſtra*, inquit Sen. *ep. 95. ad Lucil. multa*

ta præcepta admoventur, ubi animum opiniones obſident pravæ.

23. Itaque *Præjudicii* voce, ſignificationis proprietate prorſus ſervatâ, intelligimus hìc anticipatum de re aliqua Judicium, ſive præconceptam bonâ fide opinionem, ante plenum rationis uſum, vel ante diligens examen, & prudentem conſultationem. Et hæc anticipatio ſeu præconceptio non uno fluit ex capite: aliquando enim natura ipſa illam indit & implantat, uti eſt intelligentia primorum principiorum, & eorum omnium, quæ ſine ullo doctore aut conſultore novimus, præclusâque omni probatione, admittere tenemur, ſolo cogente naturæ inſtinctu; aliquandò verò eſt aliundè inducta, & forſan non ſine falſitate à nobis recepta; & nihilominùs ubi irrepſerit in humanas mentes, longoque uſu & conſuetudine tanquàm vera & recta retenta fuerit, velut naturæ notio irrefragabilis habetur, ſubque hoc pio nativæ rectitudinis colore, tyrannides innumeras in animum exercet, contrarias nimirùm ſpecies excipere, vel judicia illi oppoſita efformare, nullatenùs permittens. Prio-

24. Prioris ergo generis præiudicia, ſeu congenitæ in anima ſpecies & notiones, à nobis ſupra *lib.2. cap.4. à num. 36.* cum Platonicis defenſæ ac ſtabilitæ, nullam intellectui pro veritatis acquiſitione noxam inferunt, imò potiùs ſunt ſemina omnium ſcientiarum, & ipſum mirificè fœcundant: unde de illis non eſt ſermo. Poſterioris tantùm ordinis erroneas opiniones noſtrum eſt hìc, quoad poſſumus, declarare; facilèque eas & exponi,& extirpari credimus, ſi præcipua capita, unde videntur deſcendere, in particulari expendamus.

25. Ac primùm quidem oriri eæ videntur ex ſenſuum impreſſione, ſive ex informatione quadam ſenſibus noſtris facta ab ipſa ineunte ætate;etenim homines in tenellis annis veluti beſtiarum more vitam agunt, & à ſenſibilibus dumtaxat objectis perceptionum ſuarum motiva ſumunt: cùmque ſenſus ſæpè deludant, mirum non eſt,ſi in multis hallucinentur, & creſcente ætate, creſcant cum ipſis erronea præjudicia. Atque ex hac cauſa exortam crediderim eorum inſaniam,qui

& Deum,

& Deum, & Angelos, & animam rationalem, ut corporeas ſubſtantias confinxerunt, vel qui contrà, quæ noſtros non percellunt ſenſus, corpora eſſe negârunt, de quibus infra *cap.7.à num.74.* & rursùs *num.80.* ac ſequentibus. Nam qui à primis annis circa res corporeas & ſenſibiles occupari conſueverunt, vix poſteà mentem ad incorporea & inſenſibilia attollere ſciunt. Inſuper cùm in pueritia nihil intellexerimus, quin ſimul aliquod corporeum imaginaremur; ideò in adulta ætate intellectum cum imaginatione ſæpè confundimus. Quoniam etiam dum organa corporea ab externis cauſis afficiebantur, plerumque mens feſtinabat ad aliquid judicandum; conceſſa eſt paritèr dictis organis exiſtimatio & judicium, paſſivæque omnibus ſenſibus deceptionis capacitas, quæ ex dictis ſuperiori *lib.cap.6.* ſoli convenit intellectivæ potentiæ.

26. Ex eadem fortè radice pullulavit error communis Peripateticorum, qualitates ſenſibiles caloris v. g. frigoris, coloris, ſoni, odoris, ſaporis, gravitatis, & ſimilium, quæ reverà in ſenſoriis corporis

fiunt,

fiunt, ad externa objecta transferentium. Ut enim rectè notavit doctiſſimus Anonymus, cùm infantes fuerimus, & res exteriores in nos agentes, varios in noſtra mentes ſenſus excitârint, ope impreſſionum quibus corpora noſtra afficiebant: mens conſcia, hos in ſe ſenſus præter voluntatem ſuam affici à quibuſdam extrinſecis corporibus, putà caloris ſenſum ab igne; non tantùm judicavit res eſſe quaſdam extra ſe horum ſenſuum effectrices, in quo utique non erraſſet; ſed ulteriùs imaginata eſt aliquid in objectis, ſimile ſenſationibus, confundens virtutem calefaciendi, cum ipſo caloris ſenſu, qui propriè Calor dicitur. Sicque ex antiquis præjudiciis enatæ ſunt in ſcholis ideæ qualitatum ſenſibilium in objectis exiſtentium: quemadmodum ex iiſdem enatū eſt quòd concipiamus flavum aut viridem colorem in Iride, qui fortè nuſquam eſt niſi in nobis; aut ſimiliter dolorem in manu igni applicata, cùm reipsâ ſit in cerebro vel potiùs in mente, factâ ſolùm in manu ſimplici excitatione, ſeu filamentorum cerebro alligatorum commotione: ut ex eo pa-

patet, quòd vehementi applicatione diſtractâ mente, vel impeditâ communicatione motûs à manu ad cerebrum, ut accidit in paralyſi, nullus ſit in manu doloris ſenſus. Atque hoc ſit primum præjudiciorum caput.

27. Secundò oriri videntur præjudicia ex educatione, conſuetudine, & ſocietate cum aliis hominibus, ut jam tetigimus *num.* 21. Siquidem dogmata & principia, quæ familiari converſatione, & domeſtico convictu addiſcimus, tenaciſſimè retinemus. Quibus ſi acceſſerint popularia vocabula, rebus falsò apprehenſis accommodata, prout ſolet ipſis ſecundùm externam faciem potiùs quàm ſecundùm exiſtentiam vulgus accommodare, præjudiciis pernicioſiſſimis intellectum alligabimus.

28. Tertiò conſenſus hominum efficaciter inducit & fovet præjudicia. Nam ubi plurimi in una propoſitione efformanda, & ſeorſim ſuggerenda, ſive caſu convenerint, ſive dolo conjuraverint: fidem ſibi facillimè conciliantes, album pro nigro, ut dicitur, & plumbum pro argento ſimpli-

plicibus emptoribus, cùm voluerint, permutare poterunt. Tantumque energiæ habent ad inferenda præjudicia hujuſmodi conſpirationes, ut quidam alioqui columis ac valens, ubi audivit ſucceſſivè à multis ad jocandum conjuratis, malè ſe habere, & vultum cadavericum præſeferre, vehementi apprehenſione correptus, in morbum verè lethalem incidit, & brevì occubuit.

29. Quartò demum authoritas eorum quos colimus, & Præceptorum quos primò habuimus, mentem vitiare efficaciùs poteſt, ut ea ſolùm commendanda retinendaque videantur, quæ ab illis primùm accepimus, aut in ſcholis reſonare paſsim audivimus, aliis omnibus, etſi dignioribus, ſpretis & conculcatis. Et unde quidem accidiſſe autumas, quòd tuus jam animus magis in Ariſtotelem v.g. propendat, quàm in Platonem, aut alium ſcholæ Principem? Niſi ex eo quòd illum ab ineunte ævo audieris in ſchola cōmendari, & ab omnibus ferè quotquot doctrinâ apud vulgus excellere credebantur, præferri vulgò cæteris? Credas Petro

Gaſſendo *Exercit.3.paradox.à num.3.* ubi, Certè enim, ſubdit, ſi contigiſſet te non in Lyceũ, ſed in Academiã duci, illicque Academicos nõ Peripateticos audire: an nõ vides fuiſſe futurum, ut Platonem Ariſtoteli cæteriſque antepoſuiſſes? Videmus nempè, quàm facilè quiſque ſtudioſorum opiniones illas imbibat, quas videt à ſuo magiſtro incunctanter & ſeverè tradi, à condiſcipulis verò ſuis magno applauſu concipi; cùm tamen ſi fortè ſtuduiſſet ſub docente oppoſitas, pari jure ac ratione fuiſſet illas amplexatus: exindè enim notum eſt, quandiù teſta ſervet odorem, quo recentem ſemel contigerit imbui. Hactenùs Gaſſendus; quod quidem totum tolerat Marcus Tullius *lib. 4. Academi.q.* in Diſcentibus, *quòd anteprimùm teneantur adſtricti, quàm quid eſſet optimum judicare potuerint: deindè infirmiſſimo tempore ætatis, aut obſecuti amico cuidam, aut unâ alicujus, quem primùm audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant.* Sed tolerari vix poteſt in Magiſtris, cùm ſui juris jam effecti, in iiſdem præoccupationibus volunt perſeverare, & nõ omnia,

ut

ut decet, pro veritate circumſpicere.

30. Et ſanè quæ qualiacumque ſint præjudiciorum iſtorum capita, illud omninò certum eſt, & univerſam Philoſophiam, & ſacram Theologiam, & ipſam civilem politiam illis infici ac perturbari, ignorantiamque hominum creſcere & foveri. Quandoquidem uno vel bona fide admiſſo errore, reliqua ex eo pendentia dogmata erunt fictitia, totaque doctrinæ ſeries & connexio fabulas ſapiet. Quid inſuper bonæ ſpei nonnullis hæc patientibus portendere poſſum, niſi quòd obſtinatiſſimi in ſuis opinionibus malint ſemper in cœno ignorantiæ jacere, quàm erudientem aliquem audire, pro ſuſpectis habentes & rationes, & experimenta, quæ ſuis principiis, aut Magiſtri ſententiis adverſantur. Sic quidam farinæ hujus coactus aliquandò inter diſputandum me arguentem audire, non valenſque apertiſſimas rationes tergiverſari, Convictus, inquit, ſum, ſed non proindè perſuaſus. Tùm ego: Ità quidem amice; nam, ut benè docuit Seneca *lib. 1 o. natural. quæſt. Magna debet eſſe eloquentia, quæ invitis placeat*. Mirari

 etiam

etiam ſatis non potui clariſſimum virum Laurentium Beyerlinck *in ſuo Theatro vitæ humanæ*, cùm de ſenſibus agens, referenſque ſententiam eorum qui aſſerunt, hominem in omnibus ſenſibus vinci à brutis, juxta illud vulgatum,

Nos Aper auditu, Lynx viſu, Simia guſtu:
Vultur odoratu, præcedit Aranea tactu.

Concludit nihilominùs tenendam eſſe ſententiam Ariſtotelis *lib.* 1. *de hiſtor. anim. cap.* 15. & alibi docentis, hominem tactu & guſtu omnibus excellere animantibus: non obſtante pro Araneis contrario experimento, nempè quòd vel leviſſimum beſtiolæ in rete incidentis motum etiam in extrema plaga perſentiſcant: quod ipſe Author affert, & ſolvere non curat, ob mentis præoccupationem de certiſſima veritate doctrinarum Ariſtotelis.

31. Præterea certum eſt, præjudiciis hujuſmodi obcæcatos plerumque fieri audaces & temerarios, onerantes infamibus titulis & calumniis eos qui contraria ſentiunt. De quo juſtè conqueritur Ludovicus Vives *lib.* 1. *de cauſ. corr. art.* dicens: *Nunc quæcumque ab ſcholæ placitis diſſident,*

ſcho-

ſcholaſtico Theologo ſunt hæretica : quod crimen ità vulgatum eſt , ut rebus quoque leviſſimis impingatur, cùm ſit ipſum per ſe atrociſſimum. Idem inter ſe facerent Thomæ addictus de Scotico , hic viciſſim de illo : niſi quòd ſcholæ aſſuefactio , in qua perſonant variæ Scholaſticorum ſententiæ , audiendi ſenſum mitigaſſe ac emolliiſſe animum videretur. Nam qui ſua non ſunt cœnobia egreſſi, planè iſti quicquid non eſt ex præceptis ſcholæ, refugiunt tamquàm venena, & illicò errorem clamant. Id quod ex uno præjudiciorum vitio hactenùs increpato prodire, affirmat Melchior Canus *lib.* 8. *de locis Theolog.cap.*4. ubi , *Quò loco ſanè* , inquit, *arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli ,qui ex opinionum, quas in ſchola acceperunt, præjudiciis, viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt , idque tantâ facilitate , ut meritò rideantur.*

31. Verùm ſi amentia hujuſmodi riſu digna judicatur, fletu & lacrymis digna eſt fatuitas alia Vulgi imperiti, quod ſimilibus præoccupationibus faſcinatum , impias contra juſtitiæ merita ineptias comminiſcitur ; ex eo: v. g. quòd regulari militiæ

adſcriptos concipere conſueverit velut puros ſpiritus, ideamque de illis formârit, ut de Angelis aut Sanctorum ſtatuis, omni ſenſu deſtitutis, & nulla paſſione alterabilibus: ſi minimum poſteà actum, qui ſenſum & humanitatem redoleat, ſemel deprehenderit, gravi ſcandalo afficitur, & inhumanam ſtragem efficit in eorumdem famam: non ſecùs ac Senones milites relati à Tito Livio, qui obſeſſo Capitolio, cùm Senatores in domorum foribus immobiles & gravitate compoſitos reperiſſent, Deos eſſe exiſtimârunt; at vix conſpectâ in Marco Papirio leviſſima immodeſtiâ, homines omnes eſſe concluſerunt, ab eoque initium cædis exortum fuit.

33. Mitto ea quæ paſſim experimur in Medicis, in Oratoribus, in Militibus, & in cujuslibet artis profeſſoribus: in quibus tantum poteſt bona vel mala apud plebem præconcepta opinio, ut qui bonā ſemel famā conſecutus eſt, licèt enormiſſimos errores in dies committat, pro certo habeatur in omni actione ſeſe optimè geſſiſſe, atque è converſo. Sepiſſimè quoque Vulgus criminoſos homines, vetu-

ſtâ

ſtâ forſan bonitatis opinione deceptum, canonizat, & qui jam innocentes ſunt,ob pravam priſci temporis informationem, reos criminis conſtituit.Et utinam vitium hoc abſit à Principibus, Præſulibus, ac Reipublicæ Rectoribus: ſi enim hi primæ, ut dictum eſt, impreſſioni deſervientes, quoſdam exinde ex ſubditis velut impeccabiles,alios tanquam reprobos ſimplicitèr habuerint, præmiaque & pœnas non ſecundùm operum exigentiam,ſed juxta propriæ opinionis dictamen retribuerint: omne ſtatim Univerſitatis Communitatisve bonum peſſum ibit.

CAP. IV.

De Attentionis defectu.

34. QVid autem tantis morbis à principio deſcriptis, eorumque compertis cauſis, uti operæ pretium exigit,medelæ adhiberi oporteat, conſiderandum jam, nec ſine ingenti labore perveſtigandum ſupereſt. Cùm enim ferè ſin-

gulæ hactenùs expoſitæ cauſæ quodammodò neceſſariæ ſint, & à pleno uniuscujusque noſtrûm dominio minimè pendeant; vix medium aliquod opportunum, quo illæ removeantur,& imminentia indè mala vitentur, noſtrâ arte & induſtriâ invenire poſſumus. Equidèm quòd natura humana ſit ab alio dependens & defectibilis: quòd remanſerit per originale corrupta & vitiata: quòd quis exiguum cerebrum, & inconvenientem humorum temperiem ſortitus ſit, aut ſub perverſo climate natus: quòd itèm ex rudibus, locupletibus, egenisve reſpectivè parentibus deſcenderit, & malè enutritus fuerit: quòdque demùm ſeu ex ſenſibus, ſeu ex magiſterio, ſeu aliundè acceptis Præjudiciis ſit informatus ab infantia: non eſt in noſtra plena poteſtate contrarium facere. Paucas nihilominùs regulas & cautiones in ſequentibus, & ubicumque locus congruus ſeſe obtulerit, adijcere non erit inutile: quatenùs & ſi cauſas removere penitùs nequeamus, effectus ſaltèm ex illis ſecuturos avertere & impedire utcumque poſſimus.

Et

35. Et primum quidem præceptum ſit, quòd noſtram tandem confitentes miſeriam & imbecillitatem, agnoſcenteſq; cum Apoſtolo Paulo 2. *Cor. cap. 3. quòd ſufficientes non ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ſupernum ante omnia auxilium humilitèr imploremus; nihilque aggrediamur, niſi invocato nomine Domini: qui cùm inhabitet lucem inacceſſibilem, & fons ſit omnis ſapientiæ & virtutis, potens eſt nos eripere de poteſtate tenebrarum, ſive umbras errorum à mente procùl depellere, & viam veritatis tutisſimam aperire. Inſupèr præſtandum eſt, ut gratiam illam juſtificantem, quam noſtri Protoplaſtæ demeruerunt, & ſuo adventu reſtituit Chriſtus Dominus, conſervemus illibatam, cuſtodiendo perpetuò animam à maculis peccatorum: etenim initium ſapientiæ eſt timor Domini, difficileq; admodùm eſt in malevolam animam intrare ſapientiam, & habitare in homine ſubdito peccatis. Et profectò criminis lethalis reus, quantuncumque in ſtudiis adlaboret,

1. Tim. 6.

Coloſs. 1.

Pſal. 110.

Sap. 1.

ret, cùm à veræ ſapientiæ lumine longinquus ſit, nec niſi amicis, Deus, ſeu per externam revelationem, ſeu per internum inſtinctum & illuſtrationem, ſua ſecreta communicare ſoleat; ſemper neſciet, & in tenebris ambulabit: cùmque item culpa fuerit, quæ aciem mentis obtudit in mundi exordio; eadem certè nunc culpa, præſertim ſuperbiæ & ambitionis (ſic Dei qui ſuperbis reſiſtit operante juſtitiâ) mentem magis obtundet & hebetabit: quare nec errorum cauſas cognoſcere, nec errores ipſos impedire unquam poterimus, niſi integritatem illam ſtatûs innocentiæ, per incontaminatam vitæ actionem, quantum in nobis eſt, conſequi, & quodammodò renovare ſtudeamus.

Ioan. 15.

1. Pet. 5.

36. Hâc ſuppoſitâ cautione, ad ulteriora, quæ inſtituto magis congruant, procedentes, in eo præcipuè calamum ſiſtimus, ut animi Attentionem apprimè ſtudiis neceſſariam & commendabilem concilie-mus. Cujus quidèm utilitas nullo meliori probanda eſt argumento, quàm incommodis & damnis ex vitio illi oppoſito naſcentibus: ſiquidem nihil magis ideas noſtras,

ſtras,

ſtras conturbat, nihil à veritatis ſcopo latiùs elongat, quàm animi evagatio : quemadmodum ex una oculorum evagatione fit, quòd ad propoſitam per ictum metam, ſive ad locum quò oportet, minimè collineamus : & ſicut objecta clarè ac diſtinctè cernere non poſſumus, niſi ea defixis immotisque luminibus contueamur ; ità nec illa, ut decet, intelligere valemus, niſi acri & intento animo eorundem vacemus contemplationi.

37. Hujusmodi autem defectus, qui potiſſimùm tangit ſimplicem apprehenſionem, vitiare ſubindè ſolet ſimplex judicium & diſcurſum, quæ apprehenſionem conſequuntur : ex eo nimirum quòd rem levitèr & cursim ideòque confusè attigerim, indigeſta ſtatìm & immatura judicia, ratiocinationesque inanes ac falſæ emergant neceſſe eſt. Nam quomodò rectè affirmare potero hoc prædicatum convenire tali ſubjecto, vel has potiùs quàm illas proprietates ex utrisq; deducam, ſi nec ſubjectum nec prædicatum, nec paſſiones indè deducendæ mihi adhùc perfectè conſtiterint, prout certè conſtare

ſtare nequunt illi, qui obitèr tantùm & perfunctoriè res attingit. Inſupèr quæ judicia, niſi temeraria concipiam: quas ſententias, niſi infirmas, & de injuſtitiæ fraude ſuſpectas feram, ſi re parùm conſideratâ, & nullâ deliberatione premiſsâ, imprudenti quadam mentis præcipitatione, ad judicandum deſcendam? Proculdubiò

Prou. 15. & 19. *diſſipantur cogitationes, ubi non eſt conſilium; & qui feſtinus eſt, pedibus offendit.*

38. Ut ergo attentionem mentis efficaciter procuremus, indagare oportet funditùs cauſas, quæ ipſam mentem abripere, & hùc illucque diſtrahere ſolent. Et ſanè interdùm videtur id provenire ex ipſa ingenii inſtabilitate & inconſtantia, quæ cùm ſit imperfectio naturalis, difficillimè per artem ſanari poteſt. Interdum ex vana mentis præſumptione & arrogantia, quâ nobis nimis fidentes, credimus omnia ſimplici intuitu poſſe comprehendi. Aliquando etiam provenit ex ingenita inconſtantia voluntatis, quæ cùm imperium exerceat in intellectum, illum quò vult trahit & divèrtit, ità ut in nullius rei contemplatione moram faciat,

ciat, vel certè in illarum tantùm, in quibus delectationem aliquam experitur. Tepidus quoque amor, quo veritatem proſequimur, cauſa plerumque eſt mentalis evagationis, quia videtur impoſſibile, quòd quis alicui exercitio ſedulò incunbat, niſi illius affectione & amore præventus ſit: unde universìm dicere per anagramma licet: Ibi *Mora*, ubi *Amor*. Præterea attentionem minuit, fixamque, quod idem eſt, objecti conſiderationem intercturbat multiplex mentis applicatio: idque ob creatæ potentiæ limitationem, quæ non patitur ad plura ſimùl ſe extendere, & ſi quidem ſe extenderit, & omnibus intendere voluerit; minorem ſingulis extitiſſe, ſeu defeciſſe ſe utriſque ſentiet. Demùm oriri poteſt, & frequentiſſimè oritur diſtractio ex ſenſuum impreſſione: nam, ut incertus Author rectè annotavit, attentior eſt animus ad ea, quæ illum magis afficiunt, quæ ſenſus fortiùs percellunt, quæ imaginationem implent, & alta cerebro imprimunt veſtigia: unde qui fortiori ſunt imaginatione, aut qui circa res ſenſibiles magis occupan-

cupan-

cupantur, aut perturbationum æſtu abripiuntur, vix animum ad res intellectuales, præſertim à ſenſibus remotas aut abſtractas, faſtidiumque quoddam menti afferentes, poſſunt intendere.

39. Itaque attentio mentis comparabitur primò humili propriorũ defectuum cognitione; ſecundò prudentiæ virtute; tertiò receſſu ac ſolitudine, in qua videlicèt & ab hominum turba, & à ſecularibus negotiis, & ab alia quacumque cura, aut occupatione remoti, uni ſtudeamus quietæ contemplationi; quartò ſubſidio ſenſuum, quibus veluti exemplo & ſigno notemus illa ipſa, quæ intellectu concipimus: quemadmodum Mathematici ad hunc finem utuntur figuris, primùm in charta delineatis, poſtmodum in imaginatione confictis: ſic paritèr Dialectici pro enuntiationum Oppoſitionibus efformant figuras, pro Univerſalibus arborem Porphyrianam, & ſimilia: ut nimirùm animus in res difficiles ſub illis contentas, oculum internum defigens, percipiendi memorandique facilitatem adinveniat.

40. Poſtremò comparatur attentio mentis,

mentis, extirpatione capitalium vitiorum, præſertim crapulæ & libidinis, quæ mentem ſenſui deſervire cogunt, imò humanam indolem in belluinam vertunt. Et quidem de cibi ac potûs intemperantia ſatis dictum *cap.2.num.18.* Quibus addo ex Athanaſio *lib. de virgin. poſt initium*, *quòd ſicut jejunium pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit; cor mundum efficit atque liberum ab omni perverſa paſſione*: ità è converſo ingluvies & crapula pravas cogitationes & paſſiones advocat, mentemque in ipſas diſtrahit & immergit. Sed verò nil efficacius ad ſenſibilia rapit, nihil robuſtius ſtudiorum otio & attentioni opponitur, nihil demum teſte Seneca *lib. 1. controv.* ad Novatum Senecam, & Melam filios, *tàm mortiferum ingeniis, quam luxuria*, quæ ex Ariſtotele *probl. ſec.*10. comes eſt & pediſequa ſatietatis. Id quod probat ad noſtrum propoſitum moralis Philoſophus *lib.3. de Iracundia*, ubi: *Vacat*, inquit, *pudicitia: libido occupatiſſima eſt*, nempe, ut exponit P. Alphonſus de Padilla *Comment. in Habacuch cap.3. verſ.15. Carnis illecebræ omnia tempora*

pora implent, omnem hominem occupant, ò-mnia vitæ ſpatia, totam denique vitam & ſtudium ſorbent, ut nihil hominis ad alia laudabilia miniſteria relinquat.

C A P. V.

An & qualitèr de omnibus dubitandum.

41. TErtium præcepum, aureumque planè conſilium eſto, quòd in ipſo ſcientifici curſus initio diſcamus dubitare, ac de doctrinarum omnium falſitate ſuſpicionem concipere: ut debitis deinde cautelis & circumſpectionibus muniti, ſummâque, ut nupèr deſideravimus, attentione, circumſtantias ſingulas objectorum ſpeculati, ad ſecuriorem certioremque eorum notitiam perveniamus. Foveæ enim limini, ſive mentiendi periculo valdè proximus eſt, qui vel nimiâ ſimplicitate omnia temerè credit; vel inani oſtentatione cuncta ſibi plana & facilia fingit; vel demum ſuperbiâ tumidum pudet

det

det ſe ignorantiam, atque inſufficientem pro ferenda ſententia inſtructionem confiteri, peritioreſque conſulere.

42. Ne quis verò parùm prudens hoc utiliſſimum præceptum, ad improprium, atque à mente noſtra alienum detorqueat ſenſum, moneo non eſſe ità intelligendū, ut de omnibus & ſingulis in particulari rerum exiſtentiis ſeriò oporteat dubitare, prout olim Sceptici Philoſophi aut Acataleptici, alibi à nobis deſcribendi proſcribendique, faciebant, quibus abſtruſa, omnia, & tenebris veluti involuta, aut ſimpliciter incomprehenſibilia judicantibus, parum vel nihil obtinendæ de aliquo evidentiæ ac certitudinis ſpei reliquum videbatur. Multò minùs Pyrrhoneis, ſi quidem à dictis diffident, vel Academicis aſſentimur, quâ parte docuere, teſte Agellio *lib. 11. cap. 2. Nihil de ulla re, quantumvis manifeſta ac evidenti poſſe decerni, nec ullum noſtrum de eadem judicium verū poſſe nuncupari*: quaſi omnes & ſingulæ de objectis habitæ notitiæ ſimpliciter falſæ ſint, & cum erroneis computandæ.

43. Equidem etſi pleraque reverà ob-

Q ſcura

ſcura & incerta ſint, humanoque ingenio prorsùs abſcondita permulta fateamur *Par.2. lib.ult.de Ratiocinio*; non adeò tamen oſcitantes ſumus, ut omnibus indiſcriminatim objectis aſſenſum denegemus: cùm prima ſaltem lumine naturæ nota principia, putà, *Quodlibet eſt, vel non eſt: Totum eſt majus ſuâ parte: Duæ lineæ æquales uni rectæ æquales ſunt inter ſe*, & ſimilia, nemo mentis compos audeat incõtroverſiam vocare. Inſuper *Extant alia*, inquit Lactantius Firmianus *lib.3.de falſa ſapientia contra Academicos, quæ natura ipſa nos ſcire, & uſus frequens, & vitæ neceſſe cogit. Etenim pereundum eſt, niſi ſcias quæ ad vitam ſunt utilia, ut appetas; quæ periculoſa, ut fugias & vites. Præterea multa ſunt, quæ uſus invenit: nam Solis ac Lunæ varii curſus, & motus ſyderum, & ratio temporum deprehenſa eſt, & natura corporum à Medicis, herbarumque vires: & ab agricolis natura terrarum; necnon imbrium futurorum ac tempeſtatum ſigna collecta ſunt. Nulla denique ars eſt, quæ non ſcientiâ conſtet.*

44. Igitur ſcientiâ omni ſimplicitèr

ſub-

ſublatâ, nulla erit prudentiæ virtus, nullus bonarum artium & diſciplinarũ uſus, ſapientia denique vel in ipſis Academicis alios deſpicientibus & improperantibus nulla; dictuque planè difficile eſt, quot abſurda deglutire, & ineptias evomere: in quas item ſtrictiſſimas anguſtias redigi neceſſum ſit, cùm ſcientiam ipſi de medio tollunt, & nihilominùs ſe Philoſophos profitentur. Atque ut aliò remittam argumentum mirabile S. Auguſtini *lib. de vera Relig.* quo probatur, Academicos velint nolint, aut ſtolidos, aut temerarios, aut ſcientificos ſeſe fateri; perſequar ſubtiliſſimum diſcurſum Lactantii loco ſupra citato, ubi ſtatim contra Archeſilam profeſſionis Academicæ Coryphæum, ſubdit: *Qui alios reprehendit quòd neſciant, ipſe debet ſciens eſſe: cùm autem nihil ſciat; quæ perverſitas, quave inſolentia eſt, ob idipſum ſe Philoſophum conſtituere, propter quod cæteros tollat? Quid ergo ille promovit, niſi quòd confectis omnibus Philoſophis, ſeipſum quoque eodem mucrone transfixit?*

45. Non diſſimilibus cõtradictionibus ſe implicaret, qui omnes humanas cogi-

tationes & notitias pro falſis ſimpliciter haberi doceret. Quippe ubi ille ſecum agens, enuntiat omnem ſuam cognitionē eſſe falſam, profectò id facit per aliquam ſuam cognitionem. Vel ergo hæc cognitio id enuntians eſt falſa, & ſic falſum eſt eſſe falſam omnem ſuam cognitionem, ut nos contendimus; vel ſanè eſt vera, & ſic concedenda venit aliqua vera cognitio, ac per conſequens negandum, eſſe omnem falſam, aut certè dicendum, & omnem eſſe falſam, & ſimul aliquam veram, in quo eſt manifeſta contradictio.

46. Quæ cùm ità ſint, optimè concludit Lactantius, debuiſſe Archeſilam, pariſque conditionis ſophiſtas, ſi quid ſaperent, diſtinguere quæ ſciri poſſunt, quæve neſciri: quæ item notitia rerum ſit vera, quæve falſa. Nam cùm extrema regulariter vitioſa ſint; æquè turpiter Dogmaticorum arrogantia, atque Acatalepticorū nimiâ diffidentia, quòd teporem ſcilicèt ſtudiorum utraque inducat, laboremque illum, qui in rebus inquirendis & examinandis collocari debet, amoliatur, perturbant Philoſophiam, & Sapientiæ candi-

didatis iter ad gloriæ apicem remorantur. Ad quid enim, inquiunt illi, diuturnæ ac laborioſæ rerum trutinationes, ubi primâ veluti facie, & vel ſubluſtri rationis faculâ ducti, earum naturam detegimus, deque earundem veritate ſecuri ſumus? Quorsùm item, alii ſucclamant, ſudores & vigiliæ, quinimò & levis noſtræ mentis opera, ad inveniendam nanciſcendamque Veri cognitionem, ſi ipſam deſperatam planè ſupponimus; quantòque magis laboraverint homines ad quærendum, tantò minùs inventuros prædicamus? Sicque otio ac deſidiæ utrique dediti, in ignaviæ tenebris demerguntur, & ſordeſcunt.

47. Itaque, ut jam eò unde quodammodò digreſſa eſt, ſe referat oratio, ex ipſiſmet extremè oppoſitis Sophiſtarum deliriis, ſenſum conſilii noſtri in fronte capitis traditi, unusquisque colliget. Ac prima quidem intelligentia eſt illa eadē quam expreſſimus *num.* 37. & 41. nempè auſpicandam à Dubitatione Philoſophiā, & reliquas diſciplinas, quatenùs periculoſum eſt nimis, in prima ac ſimplici rei cujuslibet propoſitione acquieſcere; re-

que ſemel apprehensâ; & vel levibus motivis elucеſcentibus, præcipiti judicio in affirmationem aut negationem prorumpere; ſed perpendere benè omnia decet, & maturè penſitare : ut ſi fortè ambigui quidpiam occurrerit, aſſenſum ſuſtineamus, donec lux clarioris fortiorisve rationis affulſerit : *Prudentis namque proprium eſt*, inquit Seneca *lib. de quatuor virtutibus*, *examinare conſilia*, *& non citò facili credulitate ad falſa prolabi*. Et infra: *Nihil tibi ſubitum ſit*, *ſed totum ante conſpicies*.

48. Atque hinc manifeſtè patet, quantùm interſit inter Academicorum, & noſtrum ſenſum, necnon utrorumque propoſitum. Illi enim ità de omnibus ambigebant, ut in ipſa ambiguitate confuſi perpetuò remanerent; nos autem ab hæſitatione incipimus, ut lapſus effugiamus, & ad ſolidæ tandem ſapientiæ portum appellere poſſimus. Quòd ſi nihilominùs urgeas, hujusmodi methodum de Academiæ ac Pyrrhoniſmi inſtituto nonnihil ſapere; Reſpondebit pro nobis Melchior Canus *lib.8.de loc.Theol. cap.4.* Glorioſum ni-

nimirùm eſſe,imò apprimè neceſſariū,hoc pacto *Academicorum temperamentum imitari, & à rebus incertis certam aſſenſionem cohibere. Quid enim tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ,ut idem Cicero elegantiſſimè tradit, quàm quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum, id ſine ulla dubitatione defendere?*

49. Secundò volumus dubitandum eſſe de omnibus quodammodò in generali & in confuſo, citra ullum particulariū, à quibus interim præſcindamus, præjudicium: ut ipſa poſtmodum particularia valeant ſingillatim ad trutinam revocari, & vera à falſis evidentiùs diſcerni: non ſecùs ac prudens Negotiator poſtquam recepit aureæ copiam pecuniæ, inter quam numiſma aliquod adulterinum, aut juſto defectum pondere, facilè permiſceri potuit; de omnibus generatìm malam fidem dubitationemq; concipiens, ſingula ad lydium lapidem, bilancisque reſpectivè examen, nullum inde inferendo legitimis præjudicium, probare poſſet.

50. Et ſanè haud leve id nos faciendi

habemus fundamentum. Nam cùm à primis cunabulis, immò, ut utamur Tulliana phraſi 1. *Tuſcul. Simul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſemur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur*; deindè verò in adoleſcentia, ſive ex ſenſuum illuſione, ſive ex debitæ attentionis defectu, ſive ex aliis relatis referendisque cauſis, ulteriores errores admiſerimus: quî fieri unquam poterit, ut ſinceram in Philoſophiæ curſu veritatem adipiſcamur, niſi ab illis mentem anteà liberaverimus? *Vel quo pacto*, ſubjungit Theodoretus *lib.* 10. *de cur. græc. Aff. fidem habebimus novis ac recentibus rebus, niſi priùs ex animo depulerimus quæ malè ſibi inſita fuerunt?* At non adeò facilis videtur ſine noſtri Conſilii uſu, hujuſmodi mentis liberatio, & opinionum depulſio: quippe falſa cum veris, & cum incertis objectivè certa confuſa ſunt, immò pro veriſſimis & certiſſimis falſa haberi plerumque ſolent. Idcircò neceſſum eſt, omnia universìm in dubium vertere, & tum ſingula accuratè perpen-

pendentes, triticum à zizaniis ſeparare.

51. Tertiò ubi docuimus philoſophãdi principium debere ſumi à ſuſpicione falſitatis omnium præviarum notitiarum, ſenſus fuit de ſimplici tantùm ſuppoſitione, & voluntaria fictione: ità quòd ſpontè imaginemur, & nobis ipſis perſuadeamus, omnes præhabitas doctrinas fuiſſe falſas, proindèq; abdicandas: ut ſic animum (quod alitèr fieri nequit) facilè exuentes antiquis præjudiciis, expoliantesque, ut ità dicamus, veterem hominem cum actibus ſuis, in libertatem poteſtatemq; meliora deinceps eligendi, reſtitutâ mente, quæ rectæ dumtaxàt rationi conſona videbuntur, amplectamur; & ſicut modò geniti infantes, lac novum certiorum doctrinarum cõcupiſcere poſsimus, & deguſtare. Certè enim, ut quidam appoſitè notavit, non datur ingreſſus in regnum veræ ſapientiæ, niſi eo modo quo ingredimur in Regnum Cœlorum: nempè revertendo ad ſimplicitatem puerilem, & dediſcendo ea quæ malitiosè indidit mundi ſchola, juxta illud *Matt. 18. Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum.*

CAP.

CAP. VI.

An, & quando credendum ſenſibus.

52. INter alia, quæ nos movent ad dubitandum de omnibus, illud præcipuæ efficaciæ eſt, quòd ex dictis *lib. 2. cap.5.& 6.* & iterùm hoc *lib.3. à num.25.* plerasq; noticias noſtras per ſenſuum ductus primò hauſtas recognoſcamus: cùmque ipſi ſenſus interdùm fallant, & animum perniciosis irretiant præjudiciis, juxta utrobiq;à nobis notata; meritò incertitudinem quandam generalem,& in aſſeverandis rebus timorem rationabilem prudentibus viris incutiunt. Neque verò eorundem teſtimonia imperturbabilem mereri poſſunt fidem,quòd aliquotiès verum renuntiârint: nam ſufficit, ſi pluriès imò ſi ſemèl impoſturam fecerint,ut nobis ſuſpecta fiant, & pro talibus deinceps habeantur.Quis enim prudens ampliùs confidet illis principiis,quæ aliquandò ipſum in errorem induxerunt? Vel quam certi-

tudinem aut valorem jactare poterit illa conſequentia, quæ ex præmiſſis ad veritatem æquè ac falſitatem indifferentibus determinatè colligitur?

57. Itaque cùm finis proximus & immediatus noſtri primi principii, ſit deliberatio libratioque, ut identidem diximus, motivorum allicientium ad aſſenſum; ultimatus verò ipſa aſſensûs firmitas & veritas, perfectaque ſubindè rerum ſcientia; ordo doctrinæ efflagitat, ut diligenter obſervare incipiamus, & inſtar judicis examinemus, quandonam ſenſus noſtri ſint teſtes fideles mentalium judiciorum, & quando non: quando illis credendum ſit, & quando aſſenſum ſuſpendendum: ut indè inſtruamus, ſi fieri poſſit, regulas generales ad tutè ſemper & rectè ipſis fidem adhibendam, & eorum beneficio ad peroptatam ſcientiæ metam perveniendum. In quo quidem negotio præſcindere opus eſt ab illa quæſtione obitèr tacta *num. 26.* exiſtantne in objecto ſenſibiles qualitates coloris, ſaporis, odoris, &c. an hæ ſint meræ in noſtris ſenſoriis receptæ objectorum actiones? Alioquin ad

im-

impropria digreſſi, præſentem omnibus ſcholis utilem, interrumpere materiam cogeremur.

54. Atque ut paucis noſtro ſatisfaciamus inſtituto, ad prudenter credendum requiri videtur Primò, *quòd ſenſus ſint ſani & validi*: nam vitiatâ organorum temperie & diſpoſitionibus, nequeũt ipſa, ut decet, ſuo fungi munere, & res ut ſunt in ſe repræſentare: unde mirum non eſt, ſi lippientes oculi circulum in accenſa candela deprehendant, morboque regio laborantes cuncta veluti flavo colore infecta reſpiciant: ſi item aures obſtructæ tenuem vocem, aut raucum murmur, ubi non eſt, excipiant: ſi os bilioſo humore perfuſum, amara omnia perſentiſcat, corruptuſque guſtus omnem reſpuat dulcedinem, & ſic de reliquis ſenſibus: etenim, S. Tho. p. p. q. 12. a. 4. *Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*. *Meo igitur judicio*, concludit Tullius, *maxima eſt ſenſibus veritas, ſi ſani ſint ac valentes, & omnia removeantur, quæ obſtant & impediunt.*

55. Haud equidem contradicimus, poſſe interdùm invaletudinem ſenſuum in-

inſtrumentis quibuſdam adjuvari, prout paſsim roborari ſolet oculorum debilitas conſpicillis, aliiſque viſoriis inſtrumentis, eo quòd ars habeat ſupplere nonnullos defectus naturæ, vel quæ præter naturæ intentionem eveniunt, reſarcire. Attamen hiſce mediis ab arte inventis non eſt admodùm fidendum: nam ſæpè conferunt rebus viſibilibus magnitudinem quam non habent, ſæpè auferunt quam habent. Si autem propriam objectorum quantitatem mentiri poſſunt, non eſt cur cæteras eorumdem affectiones, putà motum, figuram, habitum, & ſimiles adulterare nequeant.

56. Præterea non negamus Petro Gaſſendo *lib.2. exercit.6. adverſus Ariſtoteleos*, temperamenti alterationem aliquando conferre ad acutiùs ſentiendum, quemadmodum acutiùs ſentiunt aëris frigiditatem, qui ex balneo aut thermis exeunt, quàm cæteri. Nihilominùs diſtinguendum eſt inter *acutiùs* ſentire, & *rectiùs* ſentire, ſive verum magis judicium ex ſenſatione ipſa formare. Qui ex balneis exit, vel qui aliter alteratum commotumque

que habet temperamentum, vividiùs utique & ſenſibiliùs percipit aëris frigus, quàm alter corpore probè conſtituto; at non conformiorem cum rei exiſtentia eſſe ejus ſenſationem & judicium, inde colligitur, quòd hujuſmodi poris apertus, & cute attenuatus, judicabit aërem in tali caſu extremo frigore rigere, ſive, ut propriùs loquamur, extremâ ſummâque vi frigefaciendi pollere, quod falſum forſitan recognoſceret per thermometrum, quo oſtenduntur gradus frigoris ſeu frigefactivæ virtutis exiſtentes reipſa in aëre, independenter à comparatione facienda cum corpore patiente.

57. Secundò requiri videtur ad dictã fidem, *Congrua ſenſuum ad objecta, & horum ad illos applicatio, mediumque conveniens.* Ex hoc enim perſæpè deficit viſiva facultas, quòd non benè atque in proportionata diſtantia objectum proponatur; cùm omnis creata potentia limitatam habeat ſphæram ſuæ activitatis; ſpeciesſque ab objecto remoto immiſſæ vix poſſint diſtinctæ & integræ uſque ad illam pervenire. Sic experimur, quòd quæ ſemel non

bene

bene vidimus, olfecimus, aut audivimus, approximatâ magis potentiâ, meliùs videamus, odoremus, auſcultemuſque. Similitèr alba corpora vel alterius coloris, ſi viridi cryſtallo perviſa fuerint, viridi ſpecie depicta nobis apparebunt, & ſæpè Luna ob interpoſitos vapores, rubra, pallida, aut aliis tincta coloribus exhibetur; ſyderaque demum propè verticē clariùs cernuntur, quàm eadem propè horizontem, ratione ſcilicèt purioris medii, per quod lucis radii liberiùs tranſmittuntur.

58. Sed quis, inquies, ſic eſt emenſus omnes partes ſpatii, ut determinet, in qua parte poſitum objectum cenſeatur in debita atque proportionata diſtantia conſtitutum? Quis item aërem ità perpurgavit, ut quando dicatur medium ritè affectum, declarare valeat? Reſpondemus, id non eſſe determinandum certitudine phyſicâ, ſed tantùm morali, relinquendo idipſum prudentum virorum judicio, quemadmodum in conſimilibus materiis paſſim docent morales Theologi. Vel ſanè dicimus, id poſſe ſciri à poſteriori, per

re-

reflexionem rationis ſuper actus antecedenter habitos, quibus experti ſumus, nos in tali ac tanta diſtantia, ſecùs autem in majore; vel per medium ſic & non aliter affectum, veritatem fuiſſe aliàs aſſecutos.

59. Tertium quod requiritur, eſt *Concurſus aliorum ſenſuum:* etenim *Nulla cauſa terminari poteſt dicto unius teſtis, quamvis legitimi. cap. Licet univerſis in fin. de Teſtibus. Quia vox unius vox nullius. Arg. l. 1. §. Item Cornelius.* Quare in præſenti plures concurrere ſenſus debent, qui mutuò ſeſe aut approbent, aut corrigant. Sic ubi Viſus nuntiat inflexum in aqua remũ, error hic à Tactu detegitur, & ubi Auditus percipit ut ſibi proximam miræ magnitudinis roboantem campanam, (quod facillimè continget, ſi ex utrisque aurium foraminibus digito obductis, pendens per filum longiuſculum ferrum inſtar Rhopali, ſonorum corpus pulſaverit) proditur ſtatim fallacia teſtimonio Viſûs, nihil tale præſens cernentis. Valdè autem de ſenſu dubitare licet, quotiès cum aliis ſenſibus ejus perceptio non cohæret.

Aſt

60. Aſt oppones. Diverſi ſenſus diverſa habent objecta, & unus nequit extendi ad objectum alterius: v. g. oculi eſt percipere colorem, & non ſonum; auris verò ſonum, & non colorem. Fieri ergo quî poterit, ut unius ſenſio per alterius ſenſionem corrigatur? Reſpondemus, id quidem fore impoſſibile, ſi ſermo ſit de ſenſibilibus propriis. At extant ſine dubio objecta quædam communia, ut quantitas, figura, motus, ſtatus, numerus, &c. quæ à pluribus ac diverſis potentiis ſuo quoque modo percipi poſſunt; ideoque uno ſenſu malè percepta, alio ſenſu meliùs percipi, uti patet in exemplis adductis, & aliis adducibilibus. Quòd ſi inſtiteris, non eſſe cur uni ſenſui credamus, potiùs quàm alteri. Omittam ultrò, & dicam in tali diſcordantia neutri eſſe credendum, ſed ſuſpendendam fidem, quouſque ad exactius tribunal devolutâ causâ, potentiores probationes acceſſerint, quas interim præſcribimus.

61. Quartum ergo quod exigitur, eſt *Conſenſus aliorum hominum*. Circa enim materias *de facto*, ſtandum eſt judicio pru-

dentum, atque eo modo, quo plerique valentes ſeu benè affecti temperamento, aliàsque fide digni ſe ſentire affirmant, probabilitèr ſic eſſe credendum eſt. Neque enim veriſimile videtur, omnes homines in tàm cæca ignorantia detineri, ut unanimi conſenſu falſum pro vero recipiant: præſertim in his materiis, in quibus non habet locum electio, ſed natura. Quapropter falli dicendum eſt, & organum habere vitiatum, qui putat ſaccarum e.g. eſſe amarum, cùm alii omnes fateantur eſſe dulce: qui falernum refugit vinum, cùm cæteri homines aſſerant jucundiſſimum: qui ingratum habet roſarum odorem, cùm reliqui eodem recreentur, & ſimilia.

62. Sed audio aliquem dicentem primò: Ecquis eſt, qui omnes homines, præſertim in remotiſſimis degentes regionibus, pervidere potuit, ut ſuffragiis omniũ exauditis, à qua parte plures ſtent, pronuntiare valeat? Reſpondetur, non oportere, ut omnes omninò videamus, cùm ad prudenter judicandum, ſufficiat quamplures pervidiſſe. Neque etiam opus eſt, ut eos intueamur corporeis oculis, aut verba

illo-

illorum phyſicè auſcultemus; ſed ſat eſt,ſi aut ipſorum teſtimonia poſteris relicta, aut gravium Scriptorum id aſſerentium monumenta, aut ſeriæ denique peregrinorum relationes non defuerint.

63. Dices iterùm, non eſſe cur arceantur ab apprehenſione & judicio rerum ſenſibilium, animalia irrationalia, quibus perindè ac hominibus facultates ſentiendi conceſſæ ſunt. Conſtat autem ſenſionem hominum cum brutorum ſenſione rariſſimè conſentire: nobis enim aquæ marinæ potio ingrata eſt, piſces verò eam ducunt ſuaviſſimam: è contra unguentum eſt hominibus gratiſſimum, intolerabile ſcarabeis: oleum item nobis utile, veſpes,apes, & cimices interimit: turbidam aquam nos fugimus, placet ſuibus & camelis: cicuta nobis venenum, quâ tamen coturnices & capræ pingueſcunt: colocyntis demùm,ut alia taceam, amariſſima eſt nobis, muribus autem admodum dulcis. Quare ergo conſenſum hominum quærimus, & brutorum diſſenſum non curamus?

64. Reſpondetur, rationem diſparitatis patere ex modò dictis, quia totam

hanc aſpectabilis mundi univerſitatem creavit Deus in gloriam ſuam, & in uſum commodumque hominis, juxtà illud *Cor.* 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei*: cui propterea homini & in vegetabilia, & in ſenſitivas omnes creaturas regalem quandam præpoſituram contulit unde rationabiliùs fuit ſenſui hominum quàm brutorum objecta conformari, & decentiùs nunc videtur, communi illorum perceptioni, quàm iſtorum, fidem ſub præmiſſis conditionibus adhiberi. Sed agedùm: nec dedignaremur, Animalia in Senatorum veluti conſeſſum admittere, & eorum diſſenſum æquè ac hominum conſenſum hic curare, ſi nobis certò conſtaret, ea omnia in uno ab hominibus diverſo ſentiendi modo prorsùs convenire. Verùm non ità ſe res habet: nam aqua ſalſa v.g placet piſcibus, & non minùs quàm homini diſplicet reliquis animantibus: ſimiliter venenati cibi ut nobis nocent, ſic animalia cætera, paucis demptis, interficiunt. In eo igitur in quo conſentiunt homines, ſi etiam aliæ conditiones concurrerint, tutiùs ſtandum videtur, tametſi

unius

unius aut alterius brutalis ſpeciei ſenſio oppoſita fuerit.

65. Quintum denique, quod obſervatione digniſſimum omnium cenſemus, eſt *Judicium Rationis*. Ad hujus quippè tribunal in ſenſuum perplexitate aut diſtinctione appellandum eſt; & illius erit litē, auditis hinc inde partibus, terminare: cùm nullus in propria cauſa æquus Judex eſſe poſſit. Meritò autem de ſenſuum fidelitate ſuſpecti erimus, cùm mens & ratio oppoſitum ſuadent: prout evenit conſpicienti ferrum in aqua tortuoſum, ubi nulla eſſe poteſt cauſa contortionis; vel ubi apparent juga montium Cœlo contigua, quando aliundè conſtat, per immenſa penè ſpatia hoc à terra ſeparari.

66. Et profectò vanæ fuiſſent traditæ ſuperiùs regulæ, & inanis prorsùs labor aſſumptus ad ſuſtinendam contra Gaſſendum, ſenſuum fidelitatem, niſi ultimum eorundem examen & correctionem Rationi reſervaſſemus. Etenim quatuor illa à nobis prẹſcripta requiruntur quidem, ſed non planè ſufficiunt, ſine intellectus norma, ad noſtram fidem promerendam.

Quis namque determinabit, quando ſit juſta organi temperies, quando proportionata objecti diſtantia, quando idonea medii affectio: quando item ſufficiens numerus ſenſuum aut hominum eodem modo ſentientium, &c. niſi mens, aliàs experta ſimiles caſus, vel conferens ſpecies quas in dies accipit, cum primis principiis ab ipſa natura impreſſis? Præterea in Sacramento Altaris quatuor dicti canones adæquatè concurrunt, & militant pro panis vinique ſubſtantiali remanentia, quæ tamen converſa credimus in ſubſtātiam Corporis, & Sanguinis Chriſti. Siquidem non unus aut alter tantùm, nec unius aut alterius hominis ſenſus, ſed omnes prorsùs, iique validiſſimi, & in proportionata diſtantia conſtituti, renuntiant eſſe panem & vinum: nam videmus, olfacimus, tangimus, deguſtamus, fractionem panis, aut vini fuſionem uniformitèr audimus, in hac, & in omni alia orbis regione; & nihilominùs omnes ubique fallimur. Igitur ad ulteriorem regulam neceſſariò confugiendum eſt, nempè ad trutinam Rationis, quæ ſenſus in hujusmodi

caſi-

caſibus emendet & corrigat, doceatque ſolo utendum Auditu ad auſcultandum verbum divinæ fidei, & quieſcendum in ſumma veracitate Chriſti Domini aſſerentis eas ſubſtantias aliud non eſſe niſi ſuum ſacratiſſimum Corpus, & Sanguinem pretioſiſſimum.

67. Replicat nihilominùs Gaſſendus *exercit.5.de demonſtratione*: Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; adeoque intelligere nihil poſſumus, niſi quod & quatenùs exhibetur à phantaſia, & ſenſu externo hauſtū eſt; ergo impoſſibile videtur, quòd Ratio tàm phantaſiam quàm ſenſum externum corrigat. Et ſi dicas Rationem præſtare id poſſe, quatenùs habet facultatem reflectendi ſeſe ſupra ſuos actus, atque ità reflexo actu judicare poſſe de fallacia hujusmodi. Inſtat fortiter, dicens, quantumcumque ratio vel intellectus reflexè agat, indigere ſemper nihilominùs phantaſiæ ſatellitio, adeò ut neceſſe ſit intellectum & phantaſiam circa idem ſimùl operari: cùm igitur phantaſia nusquam poſſit operari, niſi circa ea quæ ſenſu externo perhauſta ſunt

neque poterit intellectus ſupra ſuos actus reflectere abſque concurſu ſenſuum externorum.

68. Hoc tamen argumentum ſi alios vexaret, nullam apud nos difficultatis umbram præferre poteſt: nam diximus *lib.1.cap.5.*& copiosè probavimus integrâ *Propoſ.2.* multas intellectum habere ſpecies rerum, quas à ſenſibus non accepit, & per quas examinare & corrigere valeat illas, quæ à ſenſibus hauriuntur. Quinimò ipſa neceſſitas ac frequens experientia corrigendi ſenſuum operationes, nec non reflexio ipſa mentis ſupra ſuos proprios actus, apertè indicat, aliqua intellectus judicia à ſenſibus non eſſe dependentia, uti jam antevertimus *Propoſ.cit nu.6.& 7.* Quod verò urgetur de phantaſiæ ſatellitio, continet enormem æquivocationem, jamdudum à nobis declaratam eodem *cap.num.55.*ubi concluſimus, aliud eſſe, intellectum operari ſimùl cum motu ſenſûs, aliud, operari per ſenſum, ſive ex prævia perceptione, & determinatione illius.

69. Conſtet ergo ex dictis primò, minùs ſenſatè ſe geſſiſſe Ariſtotelem, ubi do-

docuit *lib. 3. de generat. anim. cap.* 10. tùm demum eſſe Rationi fidem adhibendam, cùm fuerit conformis ſenſui: *Si quando enim*, inquit, *ſatis cognita habebuntur* (nempe ea quæ de Apum generatione dicuntur demonſtrari) *tunc ſenſui magis erit quàm rationi credendum. Rationi etiam fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniant cum iis, quæ ſenſu percipiuntur rebus*. Quaſi verò ſenſus ſit ultimum tribunal, ad quod à Ratione ipſa provocari poſſit, & debeat: quod ſanè videtur abſurdum indevorabile; nam quemadmodùm quærere rationem, & ſimpliciter dimittere ſenſum, infirmitas eſt intellectus, ut benè docet ipſe Philoſophus *8. phyſ. te. 22*, eo quòd experientia eſt rerum magiſtra, & ſcientiarum mater: ſic ſtultiſſimum planè foret, ratione dimiſsâ, aut quomodolibet poſthabitâ, ad fallaces ſenſus, tanquam ad ſupremum & inappellabile judicium confugere, ab eorumque repræſentatione, tanquam ab infallibili norma & regula, rerum veritates dimetiri.

70. Secundò conſtat, velut πϱώχῃ & epi-

epilogus totius capitis, humana judicia non eſſe primis ſenſuum indiciis (utpotè aut falſis, aut minimùm incertis) temerè proſtituenda: niſi fortè velimus philoſophiæ ſtudio, conſcientiæ puritati, proximi noſtri famæ, praxi juſtitiæ, & totius deniq; civilis vitæ tranquillitati incommoda certa inferre. Contrà verò ſi ſenſus omnes, cùm proprii tùm extranei, ritè quidem diſpoſiti & applicati, uno eodemq; modo rem eandem, ratione prælucente & moderante, perceperint, ità quod rationi ſenſus, & non ſenſibus rationem adaptemus: nec ullum, moralitèr loquẽdo, ſupererit errandi periculum, nec aliquis nocendi ſcrupulus remordere poterit.

71. At contra hæc inſurget quiſpiam dicens, extare caſus, in quibus omnes & ſingulæ conſtitutæ leges, ultimâ nec exclusâ, concurrerunt pro aliquo ex ſenſibus promendo judicio, quod tamen falſum fuit: putà cùm JESVS Redemptor noſter apparuit diſcipulis euntibus in Emmaus, ſub ſpecie peregrini, Mariæ Magdalenæ ſub ſpecie hortulani &c. ut habetur *Lucæ 24. & Jo. 20.* In quibus caſibus ſen-

ſenſus illorum ſupponebantur benè diſpoſiti, & congruè appropinquati: & ſi etiam ſenſus ſinguli prædictorum, vel aliorum quorumcumq; admoti fuiſſent, proculdubio pronuntiaſſent, illum eſſe peregrinum aut hortulanum, nullâ in contrarium obſtante, aut corrigere valente Ratione; & nihilominùs omnes fuiſſent decepti, prout defacto Apoſtoli & Maria decepti fuerant, priusquàm Salvator ſuâ ſponte ſeipſum revelaret. Quidni ergo & idipſum in reliquis evenire poſſet, aut etiam paſsim evenit, ſicut in Euchariſtia credimus, nobis nullatenùs cogitantibus, & advertentibus?

72. Reſpondemus ultrò concedendo, poſſe id totum evenire per potentiam Dei abſolutam, ſecùs per ordinariam: ex eo autem quòd aliquid miraculosè fieri poſſit, aut ſemèl geſtum ſit, non benè arguitur, quòd ſemper ità fiat: præſertìm ubi nulla eſt talis argumenti neceſſitas, nec ratio aliqua cogit, prout fidei dogmatibus inſtructa, cogit nos ſupra ſenſum credere in Sacramento. Imò retorto in Arverſarium argumento, ex his ipſis Eucha-

chariſtici myſterii, & viſionum relatarum exemplis deducere poſſumus, objecta reliqua ſenſibilia hujus mundi, quæ de facto ſub dictis legibus, & potiſſimùm ratione duce percipimus, non eſſe alia à noſtra perceptione. Siquidem in iis caſibus ne Chriſtus Dominus imponeret hominibus, & perpetui erroris illorum cauſa eſſet, monuit, aut reſpectivè non longè pòſt oſtendit, haud eſſe talem, qualem ſe percipiendum exhibuerat. Id quod nec monuit, nec unquam declaravit in aliis rebus quæ ſic vel ſic ſentimus: unde ſi diverſæ eſſent à cognitione, quam de illis ubique & ſemper habuimus, in errorem Deus perpetuum induxiſſet, & quodammodò per ipſum ſtaret, quominùs nos, qui utique aliud facere non poſſumus, veritatem aſſequeremur. Siſtendo igitur in legibus ordinariæ providentiæ, fatuus foret, qui mundum alitèr ac hominibus propoſitus eſt, ſe habere doceret, vel ſenſibus omnem fidem abſolutè denegaret.

CAP.

CAP. VII.

Quænam liceat, vel oporteat ſenſu interno, aut externo percipi.

73. His circà fidem ſenſuum externorum compoſitis, ad externarum internarumq; potentiarum uſum & objecta ulteriùs progredimur, eo conſilio, ut reliqua inde ſequentia errorum diſcrimina evidentiùs cognoſcantur, & cognita faciliùs evitentur. Ac primo quidem greſſu conſtat nos gravitèr offendere, quotieſcumq; volumus imaginari, & inſtar corporearum rerum repræſentare ea, quæ cùm corpore careant, & nullum cerebro veſtigium impreſſerint, nec ſenſibus ullis imagines præſeferre potuerint, purâ tantùm intellictione conſequi licet. Sicut namq; ridiculum foret, velle Sonum, qui ſolius Auditûs objectum eſt, oculis intueri, aut è contra Lucem quæ ad Viſum pertinet, Auribus percipere; ità abſurdum videtur, & valdè periculoſum,

vel

velle Phantaſiam aut imaginativam facultatem ad objectum proprium intellectûs ſuo materiali modo attingendum, aſſurgere: ſic enim oportebit imagines fictas atq; imperfectas comminiſci, ſubindeq; in impios errores labi, rebus ſpiritualibus corporeas transferendo proprietates, vel etiam non-entibus ſimplicitèr, attributa realia confingendo.

74. Neque verò occaſionem aliam quærere oportet ſtoliditatis antiquę Gentium, qui Deum Opt. Max. ſummè quidem ſpiritualem & immortalem, cum corporeis idolis, & corruptibilibus mutiſque ſimulacris confuderunt; Martemque, Venerem, Saturnum, Bacchum, & ſimiles, olìm pro hominibus ſceleſtiſſimis habitos, & nobiſcum converſatos, inter cœleſtia Numina connumerârunt; vel etiam cæcitatis Ethnicorum & Stoicorum, quorum primi compoſitionem ex materia & formâ corporeis in Dei eſſentiam transferre, alii eundem Deum eſſe hunc viſibilem mundum, docere præſumpſerunt; vel denique Sectariorum, præſertim Anthropo-Morphitarum ſive Audianorum, qui ſecundùm

li-

literam capientes verba Sacræ Scripturæ, paſsìm Deo tribuentis membra corporea, humanam illi compoſitionem appropriârunt: quaſi verò illud *Geneſ. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſecundùm corporis partes affectioneſque adimpletum fuerit.

75. Hinc paritèr factum arbitror, quòd valdè pauci ex Priſcis agnoverint Angelorum naturam omninò ſpiritualem, & materiæ ſenſibilis expertem, qualem reipſa eos poſſidere credimus: nam, ut taceam Atheos & Sadducæos, nihil in mundo ſpiritualitatem ſapiens, admittentes; necnon alios quoſdam ſolùm Deum propriè incorporeum appellantes, non defuerunt etiam ex Patribus, & non vulgaris notæ Doctoribus, qui Angelos Dei ex ſpiritu ſimul & corpore conſtitutos affirmarent: imò inter hos Tertullianus, Methodius, aliique poſt Joſephum Hebræum *libro 1. Antiquitatum*, verba illa *Geneſ.6. Videntes filii Dei filias hominum quòd eſſent pluchræ, &c.* ad Angelos extorſerunt; ratique ſunt, ipſos libidinis æſtu accenſos, cum mulieribus coiviſſe, & liberos ex iiſdem procreaſſe.

76.Mit-

76. Mitto quod ſpectat ad Animam rationalem, in quot & quam vanas olim abierint Philoſophi opiniones: putans v. g. cum Epicureis Democritus eam eſſe rariſſimum ex combinatis atomis aërem, Pythagorici ætheris avulſionem, Empedocles ignem, Hippocrates calorem nativũ, Chryſias floridiorem ſanguinem, Galenus temperamentum primarum qualitatum, Ariſtogenes harmoniam elementorum; ex hæreticis verò Manichæi eſſe cœleſtis lucis particulam, Sociniani eſſe ventum ſubtilem, & alii aliud. Qui omnes & ſimiles errores non ex alia radice germinârunt, quàm ex ſupradicto imaginationis abuſu, quo nimirum cuncta (nullo facto ſpiritualium à non ſpiritualibus diſcrimine) ſub materiali forma, & coloribus quibuſdam ac lineamentis corporeis adumbrata, percipere conſueverunt: vel ſanè quia, ut jam tetigimus *cap. 3. num. 25.* ab ineunte ætate corporea tantùm cogitare ſoliti, nihil niſi corporeum & materiale exiſtere in natura poſſe credebant.

77. Simile huic vitii genus & nos incurrimus, cùm vocibus quibuſdam metaphori-

phoricis, ſive à corporalium rerum ſignificatione translatis, abutimur ad deſignandas ſpirituales mentis noſtræ operationes, dicendo v. g. quòd mens apprehendat, quòd diſcurrat &c. ubi objecta intelligit, & unum ex alio colligit: idque ob analogiam cum actu, quo manus aliquid prehendit; vel cum motu, quo corpus de uno loco in alium transmigrat, ut notavimus *lib. 2. num. 5.* quemadmodum ad ſimilitudinem corporalis geſtus, dicimus animum in gaudio ſe dilatare, in triſtitia ſe contrahere, in magnitudine ſe efferre, &c. Quæ quidem loquendi formulæ cùm pendeant ex materiali adeoq; improprio concipiendi modo; nonniſi ſpurios poſſunt fœtus opinionum parturire, prout ſpuria de facto videntur, quæ de potentiarum animæ, & functionum ejuſdem diſtinctione, productione, & ſubjectatione vulgò circumferuntur.

78. Hiſce tamen injuriis, quæ ſpiritualibus rebus irrogantur, parcere lubeat. At parcere non poſſumus ineptiæ eorum, qui negationes, privationes, & non-entia ſimplicitèr, inter vera entia, propriet

S iu

tum & denominationum realium capacia aggregare voluerunt; niſi in hoc, quòd delirantibus aut ſomniantibus ſimiles, propriâ imaginatione deluſi ſunt. Sic olim Manichæi, teſte Auguſtino *cap. 7. de Gen. ad literam*, Tenebras illas, quæ, naſcente mundo, erant ſuper faciem abyſſi, concipientes ut nigrum quoddam velum quaquaverſùm expanſum, aſſeruerunt non in pura lucis carentia conſtitiſſe, ſed fuiſſe aliquod reale ens à malo Deo creatum, aut æternum. Sic etiam Peripatetici, quibus familiare eſt non-entia per ſpecies entium, & negativa per ſimilitudinem & ordinem ad poſitiva cognoſcere, vocant paſsim quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, attribuendo v. g. Privationi, quæ eſt ipſum non-eſſe formæ, dignitatem veri ac non imaginarii Principii, influentis (ut natura Principii phyſici expoſcit) in eſſe compoſiti; & admirandam vim concedendo ſpatio inani, ſeu Vacuo, quod nihil pariter eſt, incutiendi horrorem terroremque naturæ. Quid autem dicam de Carteſio, qui cùm omne ſtudium poſuerit in avocanda à ſenſibus mente, nihilominùs

Gen. 1.

Rom. 4.

ipſe

ipſe trinæ dimenſionis, quâ corpora ſingula in ſuo ſtatu naturali gaudent, ideâ, & impreſſis illuſus ſpeciebus, docuit ſpatium imaginarium, quod reipsâ eſt nihil, ſed in eo deſignabat longitudinem, latitudinem, & profunditatem, phyſicum eſſe corpus. Attamen de his ſatis.

79. Ad alteram jam propoſitæ quæſtionis partem, quæ eſt de neceſſitate ſenſibilitatis corporum, accedentes, apertè proclamamus hallucinari, qui abſolutam rerum materialium exiſtentiam ipsâ ſolâ imaginatione metiendo, quicquid ſibi fingere, aut ſpectro aliquo interno figurare non valent, impoſſibile ſtatim ducunt. Sic olim fabuloſos plurimi exiſtimârunt Antipodas, quòd imaginari vix poſſent, quo pacto, ſi illi exiſterent, non inverſo corpore ambularent: & jam non deſunt, qui chimericas putent atomos, ex eo dumtaxat, quòd capere nequeat imaginatio, quî, cùm indiviſibiles illæ ſint, poſſint eſſe figuratæ, & localiter extenſæ: quîque cum varia configuratione inſectilitas poſſit componi, & non potiùs pyramidalis v.g. quæ longior eſt rotundâ, ſe-

cabilis ſit ſecundùm exceſſum: quaſi verò ex noſtro cerebro pendeat mundus, aut manus Domini directrices operum ſuorũ habuerint ideas humanas. Certè in his caſibus corrigenda eſt imaginatio puerilis, & ſenſus Rationi ſubjiciendus.

80. Sed tolerabilis eſto hic error. Craſſiùs ſanè deſipiunt alii, qui ſenſuum præjudiciis, notatis breviter *cap. 3. nu. 25.* magis deluſi, pro veris corporibus non habent, quæ corporis noſtri potentias ſenſibiliter non movent. Quamobrem ab exterioribus facultatibus unicum credendarum rerum ſuffragium ſumunt; ità ùt nihil exiſtere credant, niſi quod manibus contrectandum, oculisve aut aliis corporeis ſenſibus attingendum exhibetur; & quæ minùs activè ſenſus prædictos feriunt, minus habere eſſentiæ & entitatis opinentur. Et mirabile quidem eorum ingenium artificiumque eſt: ſi enim aliquod experimentum contra ipſorum ſententiam, prout ſepè ſolent moderni adverſus peripateticos, objeceris, illud parvipendunt, ut quandoque dicere aliquis non erubuerit: *Nego experientiam*;

alius

alius verò modeſtiùs, demonſtranti nervorum principium eſſe cerebrum, & non cor, reſponderit: *Manus quidem darem, niſi Ariſtoteles expreſsè contradiceret*; alius denique, non obſtante oculari experimento venæ Aſellianæ facto in cane à præſenti Anatomiſta, in eundem furiosè inſiluerit, dicens: *Argumentor contrà*. Ubi verò ſenſibilia experimenta non ſuppetunt, armati illo principio Stagiritæ, damnato à nobis *cap. præcedente, num. 69. quòd ſenſui magis quàm rationi credendum ſit*, inverecundâ fronte reſpondent: *Niſi videro & tetigero, non credam.*

81. Contra hoc inſanum philoſophandi genus multis agit Lucretius Carus *lib. 1. de rerum natura*, ubi probatis rerum naturalium initiis, ſubdit:

Ne qua fortè tamen cœptes diffidere dictis,
Quòd nequeunt oculis rerũ Primordia cerni:
Accipe prætereà, quæ corpora tute neceſſe eſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.

Deindè porgit oſtendere quæcũq; extant citra ullã controverſiam entia corporea & materialia, quorum ſpecies oculis, & fortè etiam aliis omnibus humanis ſenſibus na-

tura ſubtraxit. Ac primò quidem aërem quis negare poterit, cujus concitatio pontum verberat, nubes diſſipat, arbores explantat, & in noſtro præſertim Fuſcaldenſi loco in quo ſcribimus, ædes fortiſſimas concutit: item odores, ſapores, æſtus, frigora, humorem, & ſimilia: quæ tamen omnia viſus aciem omninò fugiunt. Secundò labentibus annis in digito attenuatur annulus, ferreus vomer occultè decreſcit, ſtrata ſaxea pedibus detrita, lapides ſtillicidio excavati, ſtatuæque tactu ſalutantium imminutæ cõſpiciuntur; cùm tamen quæ particulæ vice qualibet decedant, omni ſenſui reddantur imperceptibiles. Tertiò animalia primis annis adoleſcunt, ſenio emaciantur, immò in ipſa ætatis conſiſtentia augentur ſimùl & deficiunt, juxta illud Senecæ *epiſt.24.ad Lucil. Quotidiè morimur, quotidiè demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm creſcimus, vita noſtra decreſcit*. Attamen quid acquirant, quid amittant tempore, nullatenùs percipimus. Quartò tandem accipe Acarum, aut aliud Acaro minus animalculum, ut minores forſitan ſunt vermiculi,
qui

qui in aceto ope microſcopii exactiſſimi deprehenduntur; ac deindè quæram cum eodem Lucretio *lib.4 de Natura*:

Horum inteſtinum quodvis, quale eſſe putandum eſt?
Quid cordis globus? aut oculi? quid membra? quid artus?

Certè nec oculis, nec ullis aliis ſenſibus noſtri corporis partes iſtæ ſubſternentur. Et quid immoror in his paucis, cùm teſtetur Antonius le Grand *Apolog. pro Renato deſ-Cartes, cap.5. num.2.* infinita propemodùm nos circumſtare animalia, quæ diù ignoravimus, & quæ nunc tandem microſcopii ope deprehenſa ſunt ac explorata; ingentem nihilominùs aliorum numerum ſupereſſe, quæ inventa jam perſpicilla pervadere non valent, nec illa unquam in lucem proditura eſſe, ulla ſpes affulget.

82. Hinc immeritò Goudinus (quod obitèr dictum ſuâ pace velim) Atomorum figuras deſcribens, quòd aliæ e.g. ſint rotundæ, aliæ pyramidales, cubicæ aliæ, aliæ quadratæ; item aliæ rigidæ, aliæ anguillares &c. ſcommatis quibusdam invehitur in earum defenſores, dicens *Parte prima*

*Phyſ.diſp.*1.*art*.3.§.1. *Rogo, quibus conſpicillis, aut quo microſcopio exploraverint figuras in iſtis corpuſculis?* Rogo enim & ipſe: quibus conſpicillis explorârit ille materiam primam, quæ non modò eſt inviſibilis, ſed ne à Deo quidèm (dictu ſanè mirabile) cognoſcibilis, teſte ipſo S. Thoma *p.p.q.*15.*art.3.* ubi inquit: *Habet materia prima ideam in Deo, ſed non aliam ab idea compoſiti: nam materia ſecundùm ſe neque eſſe habet, neque cognoſcibilis eſt*; unde Simplicius *lib.*1.*phyſ.comm.*75.ait: *quòd cognitio materiæ ſit ejuſdem ignorantia*. Rogo item, quo microſcopio, vel quo alio optico inſtrumento perſpexerit ſubſtantialem formam, quæ accidentium cortinâ & periſtromate ſemper tegitur ac velatur, nec niſi per illa poteſt unquam ſub ſenſum cadere: ut omittam relationes, actiones, ubicationes, ac ſimiles modalitates, nec non qualitates sympaticas, quas ipſi occultas vocant, atque alia ſuperiùs ex Lucretio enumerata, quæ conſtat exiſtere, & tamen noſtros fugiunt obtutus? Audiat porrò hic ſubtilis Doctor Bernardum *in Pſal. Qui habitat: An præſentem eſſe dubitas,*

bitas, quem non vides? Vide, quia non ſolo viſu rerum præſentia comprobetur. Vel certè ſibi accommodet (abſit tamen ut à nobis effundatur) acerbiorem cavillum, quem à Platone de Ideis aliquando diſſerente, & nominante in abſtracto menſalitatem & cyathitatem, retulit Diogenes Cynicus, ex Laërtio: ubi conſuetâ dicacitate prorupit: *Equidem, ò Plato, menſam & cyathum video, mēſalitatem verò & cyathitatem non video*: cui *Rectè*, inquit divinus Philoſophus: *oculos enim quibus menſa cyathuſque conſpicitur, habes; mentem verò quâ menſalitas & cyathitas videtur, non habes*. Potuiſſet namque, ſi mente ingenuâ præditus eſſet Goudin, explorare corpuſculorum figuras medio eodem, quo Atomiſtæ: nempe conſpicillis ipſius mentis, & microſcopio rationis.

CAP. VIII.

De ſpecierum confuſione, & multiformi loquendi genere.

83. AD hæc, ut penè nihil quod in certum errorem ducere

cere poſſit, intactum & incorrectum relinquamus: imperfectas, ſepeque numero falſas parit cognitiones confuſio ſpecierum, quæ paſſim permixtæ, imminutæ, atque adulteratæ ab objecto ad potentiam deveniunt, ut alibi notavimus. Huic autem malo facilè medebimur, ſi non modò ad objectum, ſed ad medium quoque & modum quo ipſum proponitur, mentem dirigamus; quodq; eminùs v.g. proſpeximus, cominùs videre curemus. Et ſi id quidem impoſſibile tibi fuerit, cogita quale aut quantum eſſe poſſit intervallum, quo objectum ipſum à te diſterminatur, & ſic non longè à vero aberrabis. Verbi causâ Sol apparet viſui quaſi pedalis, non illicò tantulæ molis eum cum Democrito aut Epicuro eſſe judicabis; ſed reflectes potiùs, quòd cùm à terra diſtet juxta vulgarem ſupputationem 7995500. milliaribus circiter, oporteat magnitudinem habere 188560. milliarium circiter per circuitum, & latitudinem 60000.

84. Haud difficilioris curæ eſt aliud malum, quod incurrimus, cùm ex diverſis operationibus diverſa principia, & ex di-

diſtinctis effectibus diſtinctas potentias cogitamus: quod in pluribus falſum convincitur, ac præſertim in ſole, qui per unam & eandem calefactivam virtutem ceram liquefacit, & lutum indurat; vapores elevat, & nebulas diſſipat; fructibus terræ dulcedinem, oceani aquis auget amaritiem; nonnullis corporibus candorem impertit, alia penitùs offuſcat: rursùs idem calor fruges maturat, metalla producit, ora inſectorum excudit, & innumeros alios effectus gignit; adeò ut non oporteat ex horum varietate multiplicari in ſole virtutes aut entitates. Verùm hujus erroris maxima occaſio eſt nominum diverſitas, quibus principia ipſa & potentias cum variis effectibus & operationibus collatas, variè deſignamus: quamobrem ut ea præcludatur, animadvertendum venit, quòd diverſa nomina non ſemper rebus diverſis, ſed diverſis quoque conceptibus rei ejuſdem aliquando ſubſtituantur.

85. Tertium, quod nobis negotium aliquod faceſſit, eſt analoga aut æquivoca vocum ſignificatio, & homonymia: in-

dè

dè enim conceptuum obſcuritas, judiciorum perplexitas, errandique anſa & proclivitas enaſcitur, quòd res non omninò ſimiles, vel ſanè penitùs diverſas, eodem interdum ſignare nomine, & ſub confuſa quadã notione involvere velimus: quemadmodum erronea videntur Aſtrologorum judicia ex ſignis Zodiaci, de liberis actibus moribuſque hominum, putà de futura æquitate eorum, qui ſub Libræ ſigno nati ſunt: quippè non eo ſenſu quo libræ nomen uſuali bilanci, juſtitiæ symbolo convenit, cœleſti illi conſtellationi impoſitum fuit. Inſuper ubi ſermo æquivocationibus ſcatet, tempus in æternis litibus, & jurgiis implacabilibus inutiliter teritur, cùm nulla forte *de Re* poſſet eſſe contentio. Id quod velim advertant plerique noſtri temporis Sophiſtę, utentes ex induſtria ambiguis vocibus ad fovendas altercationes: quorũ tamen conſilium facili tu arte deludes, ſi ſtatìm de ſenſu, quem vocibus affingere intendunt, quandocumque expedierit, percontari non verearis; vel item modeſtè rogare, ſimulans te in latina lingua, in qua fortè ſermoci-
natio

natio procedit, non ſatis inſtructum, ut vernaculo vulgarique idiomate ſenſum ſuum non dedignentur exponere: ſic enim detectâ fraude, tota quanta affectabatur, concidet difficultas, & diſputationis fervor refrigeſcet.

86. Quartò multos fefellit modus loquendi abſtractus: ex eo videlicèt quòd paſsim uſurpemus vocem v. g. quantitatis, qualitatis, relationis, motûs, ubicationis, exiſtentiæ, ſuppoſitalitatis, juſtitiæ, prudentiæ, & ſimiles, invexerunt Philoſophi quaſdam reales entitulas, ſive formas modoſve ab omni ſubſtantia contradiſtinctos, qui his terminis reſponderent: unde cùm penè infinitæ fieri poſſint hujuſmodi abſtractiones; in infinitum propemodum excreſcet realium entitularum modorumque conſarcinatio: etenim in ſolo motu v.g. quem formam phyſicam faciunt, conſiderari poteſt celeritas, tarditas, diuturnitas, acceſſus, receſſus, rectitudo, æqualitas aut inæqualitas cum alio motu: item variæ ſituum affectiones, & modi propè innumeri, quibus idem motus exercetur: qui & omnes variis abſtra-

ſtra-

ſtractiſque terminis explicari poſſint;ergo totidem erunt in illo formarum formæ,& accidentium accidentia.Quorum ac ſimilium abſurditas monet nos, ea quæ Logici aut Metaphyſici ſunt, non eſſe ad phyſicas plagas temerè transferenda : quippe nec nomina imponuntur rei ſecundùm ſe, ſive, ut ajunt, ſupponenti perſonalitèr,ſed eidem ſecundùm quòd concipitur, ſive,ut volunt, ſupponenti ſimplicitèr; nec conceptus ipſi tam exactè rebus proportionantur, ut unicuique conceptui ſubſternatur phyſica res, cùm de re una & eadem, ſecundùm varios, ut dictum eſt, ſui reſpectus & habitudines, plures conceptus ac præciſiones formari poſſint.

87. Quintò pleroſque decipit certus modus proferendi & pronuntiandi : etenim ſermonis gratia eſt occultus magnetiſmus, & magia quædam mirabilis, quæ flectit animum quòcumque voluerit, atque à ſententia utcumque vera ſimplices Auditores poteſt detrudere : Et tùm maximè, cùm congruum vocis ſonum, & convenientem corporis actionem comitatur elegans verborum apparatus, & eloquen-

quentia, Caveas igitur tamquam Medeæ venena hujuſcemodi Rhetorum artes, quibus Hæreſiarchæ & falſi Cauſidici ſolent uti; neque ex loquentium voce, aut orationis fuco, de rerum propoſitarum veritate dijudices; ſed ad ſimplices terminos, quæ forſan magnifico exaggerata tibi fuerunt eloquio, redigas; ducaſque ad mentis oculos quæ gratâ aure ſuſcepiſti: ſic enim ſi qua in illis fictio aut dolus involvebatur, apparebit: nam *tenue*, inquit Seneca *epiſt. 79. ad Lucil. eſt mendacium: perlucet, ſi diligentèr inſpexeris.*

88. Ut autem dictas fraudes manifeſtiùs proderemus, oporteret modum illum congruum dicendi & geſtiendi, ſive naturalem ſermonis gratiam per ſuam eſſentiam & cauſas elucidare. Verumtamen quid hæc ſit, & in quo congruitas ipſa & convenientia cōſiſtat, quove ex principio fluat, videtur arcanum quiddam, quod explicari difficilè poteſt. Id unum ſcimus, numero eandem doctrinam à Titio traditam, riſu excipi & floccipendi; à Sorte prolatam, Evangelici dogmatis loco haberi: idem etiam argumentum ab uno

uno propoſitum, inefficax & nullius roboris reputari ad convincendum; ab alio efformatum, efficaciſſimè convincere: unam eandemque concionem ab hoc Oratore pronuntiatam, elegantiſſimam duci; ab illo verò, ut rudem & vulgarem ſubſannari: ac denique eandem invariatam epiſtolam, comminatoriam modò, modò deprecatoriam idiotæ poſtulanti ut legeretur, viſam fuiſſe. Cæterùm in tam diſparis effectûs cauſa minutatim expendenda, quodammodò deficimus: quamquàm enim negari nequeat, quin aliquando ex caſuali tædio, aut prævio in Dicentem odio, vel ſanè ex corporis ægritudine, animique paſſione, ſeu alia quacumque indiſpoſitione audientis, fiat, quòd dicta alioqui placitura, ad præſens diſpliceant, & è converſo, quemadmodum idem ſemen cadens ſuper ſpinas, ſuffocatur, & fructum non affert; cadens in terram bonam, affert fructum centuplum; & eadem pro varia diſpoſitione ſubjecti forma, varium effectum gignit, cùm omne quod recipitur, ad modum recipientis recipiatur: Non una tamen hæc cenſenda eſt cauſa

Luc. 8.

& ra-

& ratio effectuum præfatorum.

89. Et ne omninò jejunum hujus myſterii te dimittam, liceat paucula inſinuare, quæ ſuggerit experientia. Primoq;quidem loco novimus, ad captandum auditoris animum & benevolentiam, conferre plurimùm corporis formam, vultus hilaritatem, & vocis tonum placidum atque conſonantem: attentionem quoque & fidem ſibi maximè conciliare, qui ſedato quodam & ſerio more utuntur ad ſuum ſenſum exprimendum: nam etſi ignarum vulgus bonæ ſententiam cauſæ concipiat ex altiori voce, quaſi ille ex litigantibus vicerit, qui clamoribus prævaluit; apud prudentes tamen fidem amittunt, qui penè furioſi in dicendo nimis incaleſcunt. Multùm denique valere vidimus ad perſuadendum, turgidum quoddam & grave, ac veluti magiſteriale loquendi genus, quo verba ſingula, cæteroqui futilia & falſa, tamquam fruſtula, ut dicitur, divinitatis, & cœleſtia oracula venditentur auditoribus; cum è contrario humilibus, puſillique nimis animi viris, utcumque vera ac forſitan pretioſa enunciantibus, fi-

dem nihilominus denegemus:quòd nimirùm ſine emphaſi & oſtentatione,perindè ac ſi vilia eſſent & nullius pretii, verba prodigè fundant & projiciant.

90. Secundò juvat, & gravitatem ipſam ſermonis ſumminiſtrat loquentis dignitas & authoritas, putà quòd Princeps ſit, aut Præfecturam gerat; quòd Prælector fuerit in Salmanticenſi aut Complutenſi Univerſitate; quòd anulum geſtet, aut biretum ſuſtineat, ac ſimilia: quarum ſanè præeminentiarum fulgor eam oculis mentibuſque ſubditorum,aut privatorum hominum, opinionis caliginem offundit, ut vel craſſiſsimos errores,ſi quibus ii ſuccubuerint, deprehendere neſciant, imò pro ſanis & incorruptis dogmatibus revereri tacitè compellantur.

91. Poſtremò gratiam loquendi, ad auditoris aſſenſum extorquendum idoneam, comparat opulentia, & proſperitas fortunæ, quæ ſtatim integrum Charitum chorum convocat,& pluſquàm novem ex Parnaſſo Muſas arceſſit: nimirùm Circe multò potentior pecunia, & inſulſos homines in jucundiſſimos vertere, & in o-

mni-

mnigenæ ſcientiæ profeſſores valet idiotas, abſque incantatione, commutare. Atque hâc magnâ & ſublimi, quam ipſi divites de ſe concipiunt, opinione & ideâ, mortales cæteri pariter obcæcantur, putantes, ut quidam dixit, illos reverà majores eſſe quàm priùs extiterint, quia majus palatium incolunt, majoremque alunt paraſitorum numerum. Unde contemptis ac veluti exhibilatis mendicorum doctrinis conſiliiſque fortaſſe irrefragabilibus, & non ſine competenti lepore propoſitis, in iis falſis idolis venerandis conſultandiſque, tota hominum incumbit ambitio, juxta illud *Eccli.cap.13.verſ.28.& 29. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducent; Pauper locutus eſt, & dicunt, quis eſt hic?*

CAP. IX.

De Philautia, & conſimilibus mentis humanæ faſcinationibus.

92. SI quis verò penitiùs inquiſierit, unde hæc tàm ex parte divitis,

quàm ex parte hominum reliquorum opinio alta procedat:quaque demùm ex cauſa illius veneratio, & pauperum dejectio poſſit oriri, uno verbo dicam:videlicet ex inordinato, quo ſe quiſque complectitur, amore, & ingenito propriæ beatitatis appetitu. Cùm enim veram beatitudinem, quæ in ſolo Deo ſita eſt, homo peccando amiſerit, illam in rebus creatis, ac potiſſimum in potentia & divitiis, quæ videntur ordinaria aſſequendarum deliciarum, explendarumque cupiditatum inſtrumenta, nititur invenire: & quia excellentes ſemper arbitramur, quos beatos & felices apprehendimus, viles autem & contemptibiles quos miſeros; indè primùm orta videtur tùm falſa idea, quam de locupletum excellentia, & de indigorum abjectione concipimus; tum internus cultus vel deſpectus, quibus eoſdem reſpectivè proſequimur. Poſtmodum verò ipſam vanitatem impietatemque promovet adulatio, primogenita ambitionis ſoboles, encomiis magnificis, titulis illuſtribus, & adeò officioſis obſequiis, ut vel canes diſcant pompæ indulgentibus, & pellucidè

ve-

veſtitis caudâ adblandiri; obſitos aut nudos, ſtipemve poſtulantes, rabiosè mordere & lacerare.

93. Verùm non unum hoc, tametſi graviſſimum, ex eo principio malum proficiſci, exiſtimat Cicero *ad Q. Fratrem lib. 3.* immò *omnis*, inquit, *vitæ peſtis oritur, quòd ſibi quiſque blanditur; & quantum aliis præter æquum detrahit, tantum ſibi philautiæ vitio præter meritum tribuit.* Id quod teſtatum orbi reliquit Lucifer cum Angelis ſuis, quos una obcæcavit ſpiritualis luxuria, ut impoſſibilia cogitantes, nobiliſſimam formam à Creatore inditam, in diabolicam transformarent turpitudinem; neque aliud fabuloſa, ſi credamus Alciato, ſignificare voluit Antiquitas per puerum illum Cephiſi & Lyriopes filium, in florem graveolentem lædentemque caput, commutatum: niſi quòd amor & æſtimatio propria homines, alioqui amabiles & virtutibus exornatos, exoſos faciat, ignorantes, & totaliter inſanos. Vnde elegantèr ille:

Quòd nimiùm tua forma tibi, Narciſſe, placebat,

In florem, & noti eſt verſa ſtupori ſolus.

Ingenti eſt marcor cladeſque, φιλαυτία, *doctos*

Quæ peſſum plures datque deditque viros.

94. Atque imprimis fervidus iſte in nos amor facit, ut mens laborem ſudoremque reformidans, marcido torpeſcat otio: quod patrem eſſe & authorem omnis ignorantiæ, nemo concedere recuſabit Cornelio Tacito, aſſeveranti quòd etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliviſcantur: quin venatici canes prædam ſperatam, ni exercitio aſſueta ſint, minimè proſequuntur: & ſicut tellus quæ inculta relinquitur, ſpinas & tribulos germinat; ſic otioſi pravarum cogitationum animum divertentium æſtu quotidiè fluctuant, atque è contrario, *Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus*. Eandem inſuper ob cauſam animus, generoſus aliòqui futurus, difficultatis apprehenſione perterrefactus, ſæpenumero, ut loquar cum Seneca *epiſt.* 15. *ad Lucil.* emollitur, ac quodammodò effæminatur: ità quòd aliis in altiſ-

altiſſimas cogitationes aſſurgentibus,ipſe per ſolum primarum planarumque notitiarum repat,ut locus fiat proverbio regii Vatis *pſal. 103. Montes excelſi cervis:petra refugium herinaciis* . Etenim ut aſſueti teneris cibis, ſolidiores poſteà nequeunt concoquere; ſic qui ob minus incommodum, facilioribus dumtaxat & per ſe conſpicuis rebus ingenium aſſuefecit, vix ad ſubtiles & perobſcuras attingendas idoneus invenietur.

95. Hinc obſervare unicuique licet cum diſertiſſima Burgundiæ ſchola, mentem noſtram ad formam eorum quæ jam noverat, omnia penè revocare, præſertim ſi inter ea ſit aliqua ſimilitudo: cùm enim, inquit, omnis penè cognitio noſtra in rerum comparatione aut relatione verſetur: ubi æqualitatis vel ſimilitudinis aliqua videtur relatio, tum eam libentèr amplectimur: quòd nimirùm illius perceptio non tantam mentis contentionem & defatigationem exigat, quantam relationes inæqualitatis, quales in numeris & figuris ſunt plurimæ. Hanc etiam ob rem multò plures è ſtudioſis videmus

Grãmaticæ,Juriſprudẽtiæ, morali Theologiæ, & ſimilibus facultatibus operam navare,quàm perfectæ Arithmeticæ,Matheſi, Philoſophiæ, Aſtronomiæ, & Scholaſticis Theologiæ tractatibus, putà de Scientia,Prædeſtinatione,Trinitate,Gratia, Incarnatione, & conſimilibus: ſub vano prætextu, quòd illæ utiliores & digniores exiſtant; cùm revera non hæc, ſi benè perſpexeris, ſed alia longè diverſa cauſa ipſos moveat, nempè priorum facilitas, & poſteriorum, quam molles ac delicati homines ſummoperè faſtidiunt, difficultas: ſicut Vulpes uvam, non quòd immatura ſit, ſed quòd ab edita vite pendeat, guſtare nonnunquam reſpuit. Et quid ultra non molitur circa hoc, animi teneritudo, & laboris apprehenſio? Nonnè plurimi per annorum decades, uni (quæ nihil tandem ſcibile continet, ſed nudam idiomatis peritiam) Grammaticæ, aut ſummùm Poëſi, propterea quòd ejus uſus ipſos delectet, aliiſque fabuloſis, vanis, & leviſſimi momenti materiis vacant, *Nec pudet his nugis abſumere turpitèr ævum*: quaſi deſint res aliæ graves, ſublimes,

mes, & neceſſariæ, in quibus ingenia felicius occupari poſſint?

96. Secundò manat ex ſupradicto Philautiæ vitio, ut dicere cœperat Tullius, ſuperbia & præſumptio ſpiritus, necnon vana, ut dicitur, gloria, cum aliis quibuſdam moralibus imperfectionibus, quæ non minùs menti quàm voluntati, uti malis contigit Angelis, irreparabilia portendunt damna, niſi ſanctiſſimis Chriſtianæ Religionis inſtitutis corrigantur. Etenim proprio amore ſic decepti, plurimi nos facere ſolemus, mentemque noſtram judicem conſtituimus aliarum rerum, imò menſuram & normam omnium. Sic autem mens conſtituta, non tàm perceptiones ſuas rebus, quàm res ipſas perceptionibus accommodare ſatagit, eorum tantùm ſpecies, quæ ſimilitudinem cum præconceptis animo præſeferunt, amplectens.

97. Quantùm verò hæc præſumptio ignorantiam foveat, nemo non videt: nam principiò ſubtrahit modum emendandi falsò elicitas cognitiones, prout emendari fortè poſſent, ſi amicorum, rectiùs plerum-

rumque quàm proprius Author de veritate judicantium, cenſuræ ſubjicerentur, animo non contradicendi, ſed acquieſcēdi demùm eorum dictis: unde rariſſimè deprehendes ex hujusmodi præſumptoribus aliquem, qui ſemel à ſe probatam ſententiam, aut creditam notitiam, præſertim ſi ejus inclinationi & utilitati faveat, ampliùs rejiciat aut retractet, ut infra dicam. Deindè præcludit viam inveniendi novas notitias & veritates: tales enim arrogantes vix glubere rem aggreſſi, nucleum inde & medullam eruiſſe jactitabunt; & vel levitèr unâ ſapientiæ ſtillâ delibatâ, copioſos Caballini fontis latices exhauſiſſe gloriabuntur. Sic non paucos novimus, qui ob nudas quasdam Priſciani regulas, primum in literatorum conclavi locum vendicarent; & *cùm multi*, teſte Cano *lib.* 12. *de locis*, *omni rerum naturalium cognitione vacui eſſent, ubi primoribus labris ſacras literas deguſtârunt, tùm ſe Theologos abſolutiſſimos profiterentur.*

98. Tertiò ex iis vitiis ſequitur mentiendi conſuetud[illegible] quâ veritatem ſatis cognitam & man[illegible] impugnare volu-

mus

mus (quod eſt peccatum contra Spiritum Sanctum) vel ſcilicet ne eandem ſemel averſati, inconſtantiæ poſtmodùm aut levitatis notam, ipſam recipientes, incurramus: vel certè invidiæ causâ, ut dicam infra *num.* 104. ne prima veritatis detectæ laus alii potiùs quàm noſtro ingenio tribuatur: vel etiam ſuperbiæ vento, ne videlicet victoriæ palmam Adverſario concedamus: ſiquidem, ut profundè obſervavit Martialis,

Divitias & opes frequens donabit Amicus:
Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

Vel deniq; ambitionis commodiq; majoris gratiâ, ſive ut italicè dicitur, *Per proprio intereſſe*, ne videlicet à dignitate aliqua aut officio dejiciamur. Has, inquam, ob cauſas paſſim obſervabis cum Maldonato Scholaſticos ea defendere, quæ *falſa eſſe neque ignorant, neque privatim interrogati negãt*; & egomet propriis auribus Prælectores doctos, quibuſcum publica præceſſerat contentio, clàm audivi dicentes: Nos ſanè cõtra conſcientię dictamen agimus, Recentiorumque ſcholæ ultrò addiceremur, ſi id noſtræ politiæ jura tolerarent.

99. Quar-

99. Quartò naſcitur ex veſano illo in nos amore, infallibile odium in alios homines, ſive in eorum geſta & opera: cùm nequeat cæcus amans non æmulatione torqueri. Hoc autem ſi verum eſt, utì eſt veriſſimum, quonam pacto ejusmodi paſſione faſcinatis, poterunt alicujus opiniones arridere? Quantum enim cuique propria placent, tantum aliena illis contraria diſplicebunt: & niſi tali amoris ſenſui modum imponat, & malevolum ſubindè remittat animum, nemo unquam æquis oculis, quæ ſua non ſunt intueri, vel doctrinas qualeſcumq; approbare ullo modo poterit. Id quod optimè ſciens S. Auguſtinus, de Vtilitate credendorum contra Manichæos *cap.6.* antequam oſtendere aggrederetur propoſitam utilitatem & divinitatem ſacræ ſcripturæ, *Hoc*, prudentiſſimè inquit, *ut tibi probem, multis rationibus, & longiore diſcurſu opus eſt. Agendum enim tecum priùs eſt, ut Authores ipſos non oderis, deinde ut ames.*

100. Itaque, ut doctrinæ faciamus ſummam, primo loco fugiendum videtur peſtiferum philautiæ vitium, tamquam illud

illud, quod ut plurimum impedit perfectionem virtutis, ità maximè obſtat conſecutioni veritatis: atque ità ſequendum ſanctum conſilium Platonis *lib.5. de legib.* *ubi: Decet ſanè*, inquit, *eum qui magnus vir futurus eſt, neque ſeipſum neque ſua diligere, ſed juſta ſemper & recta, ſive ab ipſo ſive ab alio gerantur*. Et ſanè fugam prædictam facilitabit primò monitum Auguſtini *tract.123. in Joan.* ubi penſatis incommodis ex eo vitio procedentibus, concludit, amorem ſui non eſſe amorem ſed odium ſui. Secundò eandem expeditiorem reddit noſtræ naturæ conſideratio: etenim ſi purgatis intelligentiæ pupillis nos ipſos attentè conſpiceremus, nullum profectò amoris meritum, neque hilum quidem, de quo juſta poſſet excitari gloriatio, reperiremus. Unde eleganter Bernardus de Interiori domo, in perſona Dei loquens, *O homo*, inquit, *ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, tibi places, & mihi diſplices.*

101. Deinde verò deponendi ſunt affectus ſeu dixeris paſſiones, antequam de re propoſita ſententiam proferamus. Ideò quip-

quippè oculi pupillam nullo natura colore infecit, ut colores omnes, ſecundùm quod ſunt in ſe, intueri potuiſſet, cùm aliàs Icterici flavum aut croceum tantum in objectis colorem inſpiciant. Ut igitur mens humana pro utraque parte rationes videre valeat, ab omni paſſionis tinctura purganda eſt. *Malè* equidem, ut ait Horatius, *verum examinat omnis corruptus Judex*, ut vel indè patet, quòd eodem ſtante cauſæ merito, rebusve penitùs invariatis, contraria pro vario animi affectu judicemus. Sive autem quis corrumpatur adulatione, ut Homerus contra Trojanos; ſive invidiâ, ut Sacerdotes Judæi contra Chriſtum Dominum; ſive odio, ut Porphyrius & Talmudiſtæ contra Chriſtianos, & Tacitus contra Hebræos; ſive tandem amore ſui aut ſuorum fœtuum, ut penè omnes ità corrupti & vitiati ſunt: hujusmodi eſſe nequit juſtus arbiter veritatis.

CAP.

CAP. X.

De Novitate Vetuſtateque Opinionum.

102. PErgamus ultrà ad reliquas animi faſcinationes, quæ innoteſcere nobis hactenùs potuere, quasque ab ipſa Philoſophiæ noſtræ Proluſione obitèr indicatas, tribus jam ſubſequentibus his capitibus copioſiùs ac diſtinctiùs expendere intendimus.

Et primò, unde permulta in nos illabuntur detrimenta: ſive immodica erga antiquos reverentia, ſive inordinata innovandi libido ſæpiùs irritant, ut veris poſthabitis, falſa in pretio retineamus, iis ſolummodò arridentibus, quæ aut vetuſta reſpectivè probantur, aut recentia vel paradoxica. Nequeunt autem non ſummè vitioſi eſſe mores hujusmodi, qui ſic extremè oppoſiti ſunt, deflectuntque utrique à regula Rationis, dictantis æſtimandum rei meritum intrinſecum, non extrinſecas temporis circumſtantias: tenendamque

item

item & propugnandam ſententiam, non quà antiquam & vulgatam, nec quà novam & inauditam, ſed unicè quà veram.

103. Verùm etſi poſterior indoles vitioſa, ut dictum eſt, & deteſtabilis videatur, Philautiæque labe nuper deſcriptâ inquinatos cenſeat Alciatus,

Qui Veterum abjectâ methodo, nova dogmata quærunt;
Nilque ſuas præter tradere phantaſias:

Non adeò tamen commune hoc vitium eſt, nec tam grandis videtur in humanas ſcientias à Novatoribus inducenda pernicies, quemadmodum illud ſerpere graſſarique deprehendimus. Quod enim potentiùs aliud diſſeminandę Chriſtianæ doctrinæ obſtaculum, primi Eccleſiæ Doctores invenerunt, quàm radicata ejusmodi antiquitatis præjudicia? *Hæ quippè ſunt* (eructabat non ſine dolore Lactantius *lib. de origine erroris cap.*7.) *Religiones, quas ſibi à majoribus ſuis traditas pertinaciſſimè tueri ac defendere perſeverant, nec conſiderant quales ſint: ſed ex hoc probatas atque veras eſſe confidunt, quòd eas Veteres tradiderunt: tantaque eſt authoritas vetuſtatis,*

ut

ut inquirere in eam ſcelus eſſe dicant. Quo etiam hac tempeſtate Scholaſticorum ſuſtinemus, qui novitatis prætextu, damnant paſsìm opiniones veras, ſolidas, & fundatiſſimas, eaſdemque tandem, ut verbo dicam, quas ſi ab aliis Authoribus antè traditas recognoſcerent (prout multotiès accidit novas & nondum editas reputari, quæ venerandâ admodum decorantur canitie) apertiſſimis ulnis ſtatim amplecterentur? Velut ſi poſt certum annorum intervallum, infallibilitatis veritatisq; præſcriptio facta fuiſſet: cùm tamen conſtet ex Tertulliano *de velan. virg.* quod *Veritati nemo præſcribere poteſt: non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum*? Et quod aliud majus incommodum ex tanto abuſu expectari non debet? Sanè eo ſtante, præcluſus orbi literario erit inquirendarum in dies veritatum aditus, & plus ultrà in ſcientiis & artibus procedendi facultas interdicta; ideòque dejectis animis, ceſſanteque illa curioſitate, quæ primò ad philoſophandum homines incitavit, univerſæ doctrinæ ac profeſſiones eodem ſemper jacebunt loco.

V 104. No-

104. Noſtis verò, unde emergat indiſcretus hic Priſcorum cultus,& Recentiorum contemptus, *ut vetera ſemper in laude, præſentia ſint in faſtidio ; & vetera antiquaque miremur , noſtrorum temporum ſtudia irrideamus?* Declarat paucis Cornelius Tacitus, cujus uſurpavimus verba ſcripta *in lib. de Orator. Ex ingenito nimirùm humanæ malignitatis vitio:* invidentiâ namque aut æmulatione perciti homines, quod ipſi primi non invenerunt, continuò reprehendunt, & ferre nullo modo poſſunt, laturi libentiſſimè, ac laxis fibris novitatem magnificaturi, ſi ſibi aut ſaltem aliis de ſua familia primi Authoris titulo gaudere contigiſſet. Si item florere viderint in ſuo ſeculo ingenia,quibus coæquari ſapientiâ & inventis nequeant; malunt in antiquos, quibuſcum nulla æmulatio eſſe poteſt,gloriam refundere,quàm coætaneis ipſis debitam concedere; dicentes ſtatim, quotiès boni quidpiam & commendabilis, quod negare non poſſunt, in Recentiorum monumentis inveniunt, ab aliquo ex prioribus fuiſſe ſuffuratos; ſin minùs, bonum laudeque dignum eſſe non

poſſe;

poſſe: quaſi verò in paucis Veteribus Natura fuerit effæta; aut Virtus, ceu vinum, ſit antiquitate probanda, uti conqueritur Hieronymus *epiſt.118.* Certè, ut egregiè pronuntiavit Claudius Imperator apud Tacitum *lib.11. cap.8. quæ nunc antiqua & vetuſta credimus, nova aliquando fuere*; & quæ jam nova ſunt, erunt poſt ſpatium temporis, ſi quod Deus mundo indulſerit, ſimilitèr antiqua: ſtultum eſt ergo à temporis differentia Veritatis argumentum emendicare.

105. Efficaciſſimum hunc & in generali factum diſcurſum, confirmat Joannes Caramuel *epiſt.*4. ad Eminentiſs. Sfortiam Pallavicinum, particulari exemplo Thomiſticæ doctrinæ, dicens: *Antiqua eſt, nova fuit, & ſicut nec hodie quà antiqua, ſed quà vera ſuſcipitur; ſic nec olim quà nova potuit, ſed quà falſa contemni.* Deindè probat, majorem gloriam & plauſum conſecutum eſſe S. Thomam à doctrinæ novitate, quàm ſi antiquis tantùm traditionibus ſubſcripſiſſet: quod adeò verum eſt, ut volens S. Antoninus Florentiæ Antiſtes, illius ingenium commendare, nullam aliam

uberiorem laudis materiam reperit, quàm dictam innovandi renovandique ſoler-
3.p.hiſtor. tit. 23. c. 7. §. 1. tiam. *Erat enim*, inquit, *in legendo, novos articulos adinveniens, novumque modum determinandi inveniens, & novas producens in determinationibus rationes*. Rurſùs: Cujus ingenii ſubtilitatem, intelligétiæ acumen, rectitudinem judicii evidenter oſtendunt multitudo librorum quos edidit, & ſententiarum *Novitas*, quas invenit, ſenſusque abſconditi, quos produxit in lucem. Quapropter Petrus Alvarez, qui & ipſe recenſuerat extuleratque novitates inventas ab Angelico Præceptore pro ſua doctrina in Nodo indiſſolubili de cōceptu mentis & ventris *Nod.* 15. §. 1. his verbis: *Novos confecit articulos, novum excogitavit modum determinandi, novas in determinationibus invenit rationes, itaut Deus ad nova dogmata novi hominis radiis ipſum illuſtraverit, & ipſe limpidè tot novitates proferret*. Et iterùm: *Hoc reſervatum erat Angelico Doctori, ut ſua ſententiarum novitate patefaceret in Eccleſia novos articulos, novas veritates Sacræ Scripturæ*. Ipſe, inquam, Alvarez & Aſtorga

apud

apud laudatum Caramuelem admiratur, quomodo hoc quod laudat S. Antoninus in doctrina S. Doctoris, condemnetur à modernis Theologis in aliis Doctoribus; & quæ in S.Thoma Novitates extolluntur, in aliis tanto horrore deteſtentur.

106. Dices: Novitas in Republica ſemper ſuſpicionem intulit: quin Heterodoxi; *Novatorum* nomine veniunt apud Sacros Scriptores paſsim, ſubque hoc titulo damnantur ab Eccleſia: unde S. Theol. Facultas Pariſienſis anno Dom. 1624. *Nihil planè*, inquit, *in Republica Chriſtiana periculoſius, nihilque communi SS. PP. judicio cavendum diligentiùs, quàm rerum novitas, & præſertim quæ veræ ſcientiæ, ſacræque doctrinę manifeſtè dignoſcitur adverſari: Sic à primis Eccleſiæ temporibus, ipſe veritatis author Spiritus Sanctus monuit, Sancto Apoſtolo atteſtante, qui toties novas & peregrinas hominum in facto doctrinæ opiniones omni ſtudio ac diligentiâ fugiendas commendavit. Ut primæ epiſt. ad Timoth. cap. 6. dicitur: O Thimothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidem*

promittentes circa fidem exciderunt. Ad Epheſ. cap. 4. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Et primæ ad Timoth. 4. Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum, &c. Et ad Hebræos 13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Si ita ergo periculoſa & ſuſpecta eſt Novitas, ſuſpecta paritèr atque erronea cenſenda erit Philoſophia, quæ à Veterum ſemita recedit, & nova cudit.

107. At diſtinguendum eſt inter Novatores, quorum æquivocatio calumniarum locum injuſtè faceret. Sunt enim quidam, qui cudunt nova, ut deſtruant vetera benè præjacta, ut hæretici, qui ſacroſancta dogmata, à ſumma olim Veritate manifeſtata, & per longiſſimam Patrum ſucceſſionem cuſtodita, novis quibusdam figmentis evertere nituntur: id quod ingerit abſque dubio ſuſpicionem erroremque damnabilem in Republica Chriſtiana: non enim licet homini, nova fidei myſteria

con-

condere, aut privato illo, quem jactant, ſpiritu explicare, ſed quæ Deus per Scripturas ac Traditiones revelavit, & Eccleſia propoſuit, præcisè credere. Et ratio eſt, quia veritas fidei & religionis, utpote ſupernaturalis, & in arcano Divinæ Sapientiæ recondita, excedit creati capacitatem intellectus: unde inanis, vana, & periculoſa comprobatur omnis humana curioſitas; nam quorum nulla facta eſt revelatio, impoſſibile eſt noſtris viribus attingere: quæ autem ſuperno favore detecta ſunt, cæcâ fide ſunt credenda; ſtultitiæque ac temeritatis vitio ſatis odioſo verteretur, velle in cauſis hujusmodi, ulteriore quidpiam inquiſitione tentare. Atque de his ipſis rebus locutam conſtat Pariſienſem Facultatem; idemque pariter voluiſſe Apoſtolum Paulum, docet expreſsè S. Auguſt. *lib. de utilit. creden. cap.* 1. & S. Hierony. *epiſt.* 65. *n.* 24.

108. Sunt verò alii, qui nova cudunt, ut antiqua reſarciant; & hi plurimùm Reipublicæ proſunt, ſicut certè prodeſſet qui domum aliquam dirutam erigeret, collabantem novis muris muniret, aut tandem

à fundamentis in urbe extrueret: vel qui nova inſtituta legesve conderet, ut ſubditorum ſuorum mores, aut externæ politiæ ſtatum reformaret; niſi quidem ſuſpectos mundo dixeris ſacrorum Ordinum Inſtitutores, qui novis & mundo primùm mirabilibus vivendi normis, Eccleſiam Dei tueri & reparare conati ſunt; vel niſi tandem ſuſpectam pronuntiaveris (abſit tamen ut eò audaciæ dementiæque progrediaris) ipſam Evangelicam, ſummèque veram & divinam Chriſti Domini doctrinam, quòd aliquando etiam recens extiterit, imò quædam inaudita aut nondum clarè percepta, primâque fronte dura & valdè difficilia, ſive credenda ſive ſervanda præceperit, plurimasque item legis veteris conſuetudines, ut Circumciſionis, Victimarum, & ſimilium, quæ priùs in figura contigerant, vel quæ non omnibus mundi ætatibus congruebant, abrogaverit.

109. Porrò ad poſteriorem claſſem pertinent recentes Philoſophi: unde tantum abeſt quòd aliquâ ex hoc capite ſuſpicionis errorisve cenſurâ inurendi ſint, ut juſtas potiùs grates à nobis exigant, quòd

quòd Chriſtianas ſcientias ampliare , & abſtruſiores rerum cauſas planas facere, pro viribus laborēt & contendant: quemadmodum ſummas gratiarum actiones debemus S. Thomæ, qui ſuâ ſolertiâ & ingenio, univerſam ſacram doctrinam in novum & pulcherrimum partium ac quæſtionum ordinem digeſſit; veritatesque plurimas incompertas ac peregrinas cum earum abſconditis principiis patefecit & explanavit, ut retulimus *num.* 105. Præſertim quia ſi rem cum P. Maignano funditus veſtigare , & ſermonis improprietatem caſtigare velimus, Veritas quam noſtri Philoſophi invenire nituntur, nunquã nova appellari poteſt, ſed antiquiſſima & pervetuſta: quatenus rebus & mundo coæva eſt imò æterna, licèt aliquandiù nobis abſcondita, & pedetentim revelanda: quẽadmodum de Fidei articulis ſentiunt, ſervatâ proportione, Theologi , docentes cum S. Thoma eos ſucceſſu poſt Chriſtum temporis non creviſſe, quia nullus de novo ab Eccleſia conditus eſt, ſed tantummodò declaratus.

110. Neque putes fructu vacuas corun-

rūdem noſtrorum Doctorum, ſeu ad nova, ut tecum loquar, cudenda, ſeu ad vetera renovanda contentiones & induſtrias: quaſi verò Ariſtoteles, aut alius quiſpiam veterum, ſpem novorum inventorum poſteris præriverit, viamque ulterioris veritatis inveſtigandæ penitùs intercluſerit. *Patet enim* (inquit Seneca) *omnibus veritas: nondum eſt occupata: multum ex* Epiſt. 119. *illa etiam futuris relictum eſt.* Et rurſus: *Multum adhùc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid aliud adjiciendi. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.*

III. Et ſanè quis negaverit præclariſſimos poſt Ariſtotelem Philoſophos, qui vel ipſam Anteceſſorū doctrinā excitatis recenter quæſtionibus argumentisq; locupletârunt, vel novis experimentorū adjumentis, naturæ penetralia feliciori eventu rimati ſunt? Quis inventa atque excogitata, ad quæ Veteres nullâ arte & ingenio pervenire potuerunt? Sic Galilæus de Galilæis ope Teleſcopii invenit ſex novos planetas, Solis maculas, Lunę globoſitatē, ſtel-

Stellularum congeriem,ex quibus γαλαξίας ſeu Via lactea conſtituitur &c. Tycon novam Cometarum diſpoſitionem; Clavius, Gauricus, & alii, Circuli Quadraturam, quam priſci impoſſibilem putaverunt: Flavius item Acûs nauticæ magneticæ uſum mirabilem;Vlyſſes Aldrovandus occultiores animantium, herbarum, lapidum,gummarumque ſpecies;Cardanus & Scaliger naturam innumerabilium mineralium, quæ reticuit Ariſtoteles; Emmanuel Maignan Catoptricam perſpectivam ad illa uſque tempora intẽtatam;plurimaque artificia noſtra ætas excogitavit, quæ priſcorum temporum mortalibus erant occulta: putà memoratum Teleſcopium, inventum in Belgia & perfectum in Italia, quo cœleſtia corpora ad terram quodammodo deſcenderunt;Tubum diopticum, & innumera genera cõſpiciliorũ viſivam facultatem roborantium; Buccinam ſtenterophonicam,quinquaginta hominum clamori æquivalentem; αὐτόματα & horologia cum rotis, ſonitum emittentia; auguſtam chartam ex lino, quâ ad præſens utimur ad ſcribendum;Typos ſeu impri-

primendorum librorum artem, Sinenſium arte longè perfectiorem; Pyxiculam nauticam, ſive tabulam navigationis; Sclopos, bombardas, & alia tormenta bellica atque æneas machinas, quæ in mœnibus diruendis, cœleſtia æmulantur fulmina; ac demum pulverem, non modò tormentarium qui in uſu eſt omnium, ſed alium quendam auratum, imprimentem motum terribilem deorſum, & alium paritèr nullo pacto tonantem, & tamen occidentem.

112. Quid autem non dicam de arte medica, quâ, experientiæ teſtimonio, nova & admirabilia de die in diem hominibus arcana revelantur? Antimonii atque mercurii uſus apud Galenicos tamquam venenoſus, formidabilis erat: nunc humanæ ſaluti familiaris & amicus effectus eſt, Chimicorum beneficio. Alia item mineralia, plantæ, radices, fructus, herbæ, & ſucci Hippocrati, Dioſcoridi, & Galeno prorsùs abſconditi, aut vix famâ memorati: delati jam ab Indiis, Pharmacopœis hujus temporis uſuales evaſerunt, & aromatarias totius Europæ impleverunt officinas. Taceo Lulli, Arnaldi, Alberti, Co-

mitis

mitis de Treves, aliorumque recentiorum Alchimiſtarum operationes, quibus vel ad optatam Mercurii in argentum & aurũ converſionem, medio philoſophico lapide, felicitèr pervenerunt; vel ſaltem indè eduxerunt pretioſiſſimos pro medicina & aliis effectibus liquores & pulveres, iteratâ Mercurii additione ſucceſſivè multiplicabiles.

113. Tacere item volo progreſſum Muſicæ, Picturæ, Sculpturæ, Architecturæ, artiumque ferè omnium mechanicarum, quas olim valdè rudes, annorum ſucceſſio mirabilitèr excoluit & perpolivit, ut de ſingulis fusè & eruditè Alexander Taſſonius *lib.* 10. *ſuarum quæſtionum*. Vertoque me ad Geographiam, & invenio cum eodem Doctore errata multa Strabonis & Ptolomei à Modernis emendata: ſed & detectos fontes Nili, & ultimos Æthyopiæ fines; penetratas regiones inacceſſibiles ſub Polo Arctico, deprædata Indorum regna, navigata immenſa oceana & repertos Antipodas; apertum denique novum terrarum Orbem operâ tum invictiſſimi viri Chriſtophori

Co-

Columbi Genuenſi, qui Mexicum Peruanave & Cuſcana regna auri fodinis ditiſſima, ſed Antiquis penitùs incōperta, reperit anno Domini 1490. tum Americi Veſpucii Florentini, qui non multò pòſt Braſiliam, alteram novi illius orbis partem, Americam inde nuncupatam, colluſtravit.

114. Nec mirum quidem videri debet, ſi mundo ſeneſcente, multa ante incognita detegantur: nam, ut bellè notavit argutus Doctor, à ſenibus, qui plurima quotidiè experiuntur, maturius judicium, ac major ſcientia eſt expectanda; *eſtque hoc* (ſubdit Juxtus Lypſius) *æternæ illius benignitatis, ſpargere ingeniorum dona in ætates, & in homines: nec in unam illam aut hunc unum, omnia & ſemel contuliſſe: unde optimus Vatum: Sed non inſimul & ſemel omnia Dii ſua donant*. An fortè credis Ariſtotelicam mentem, quæ fuit utique finitæ capacitatis, infinitum divinæ omnipotentiæ theſaurum exhaurire potuiſſe, quominùs ſuperſtitem immenſi ſui luminis ſcintillam, cui & quando ei placuerit, communicare queat? Credidit id unus Averroës Machometi ſectator, proindeque

.1. Manc. ad cā Phi-

que minùs dignè de Potentia divina ſentiens, ubi auſus fuit dicere *3. de ani. epiſt. 48. quòd Ariſtotelis intellectus fuit finis humani intellectus: creatuſque & datus nobis divinâ providentiâ, ut ſciremus quicquid ſciri poteſt*. Sed ò temeritatem blaſphemiamque non audiendam! O inſaniam, toto Anticyrano helleboro purgandam!

C A P. XI.

De Doctorum authoritate.

115. ALtera, nec ſuperiori abſimilis, inveniendæ veritatis remora, eſt avida ſuffragiorum poſtulatio: *obeſt nanque*, inquit illuſtris ille Stoicæ philoſophiæ profeſſor Cicero *lib. 1. de nat. Deorum, plerumque iis qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident*: Similes ſemper pueris, qui tantum ſciunt, quantum ex ore ſuæ nutricis accipiunt: ſi quidem ſcire dicendi ſunt, qui non cauſas rerum inquirunt, ſed uno

Di-

Dicentis teſtimonio freti, vivunt ſub cœca aliorũ fide & obedientia. Vnde *S.Thomas qnolib.4 art.18. Oportet rationibus inniti inveſtigantibus veritatis radicem, & facientibus ſcire, quomodò ſit verum quod dicitur: alioqui ſi nudis autboritatibus magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ità eſt; ſed nibil ſcientiæ intellectus acquiret: ſed vacuus abſcedet.*

116. At parum foret, ſciendi occaſionem ſibi ſubtrahere, vacuumque diſcedere auditorem, niſi (quod gravius eſt) in erroris præcipitium aliquando duceretur, Contingit verò ſæpiſſimè, ut cœcutiente magiſtro, in foveam eandem cadat & diſcipulus; errataque unius, hæreditariâ quadam in alium transfuſione deſcendant: idque ex eo quòd illius dicta velut oracula infallibilia ſuſcipiat; nefasque grande admiſſurum putet, ſi vel latum unguem ab eo declinet, caputque ſemel, ut videat viam per quam ambulat, attollat. Ecce quæ mala gerit inflata magiſtri authoritas, quæ damna incurrit ſimplex diſcipulorum credulitas.

117. Quid ergo moraris Lector? Obtrun-

truncandum hoc caput tantorum malorũ eſt, immò Herculis igne coërcendum: ne forte ex uno illo cætera hactenùs amputata, non ſecùs ac Hydræ colla renaſcantur. Id quod facillimo negotio præſtabis, ſi tibi perſuaſum habueris hoc principiũ, quòd ſolus Deus optimus eſt & ſapientiſſimus, qui nec poteſt decipere nec decipi; omnis autem homo mendax. Renuis adhuc? Contendis? An exiſtimas Doctorem aliquem ab humana conditione diſpenſatum, ut, quod hominis eſt, labi & errare ne in phyſicis quidem rebus, quas tradidit Deus hominum diſputationi, nequaquam poſſit? Ecquis fuit unquam hic per tuam fidem: quis, ut loquitur Juſtus Lypſius *loc.cit.num.*110. *tam feliciter imò tam divinè ſapiens*, Pſal. 115. 11. Eccleſ.3. 11.

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit?

Erravit in multis Plato, Democritus, & Ariſtoteles; erravit Lactantius, Origenes, & Tertullianus: erravit etiam fulgentiſſimum illud & præcipuum Eccleſiæ lumen Auguſtinus, qui non veritus eſt librum integrum Retractationum publicare:

S. Thomas, & S. Bonaventura, alter licèt Angelicus, Seraphicus alter Doctor, in diverſas opiniones abierunt (non minùs quàm reſtitiſſe ſibi , & mutuò præliatos eſſe olim cœleſtes Principes , legimus *Daniel.cap.*10.) quod evidens ſignum eſt, alterutrum infallibiliter erraſſe,& ſic fortiori jure reliqui omnes errare & mentiri potuerunt . *Admiſſo autem officioſo aliquo mendacio* (verba ſunt Auguſtini *epiſt.*18. ad Hieron.)nihil certum & ſuſpicionis vacuum , quodque à nobis ex ſimplici ipſo Doctoris teſtimonio credendum ſit,remanebit.

114. Eapropter idem S. Doctor *epiſt.* 9.ad eundem Hieron. *Ego,* inquit, *ſolis eis Scripturæ libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre ; ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere. Alios autem ità lego,ut quantâlibet ſanctitate doctrinâque polleant , non ideò verum putem , quia ipſi ità ſenſerunt, ſed quia mihi per rationem perſuadere potuerunt .* Quam ſententiam expendens S. Thomas *p.p.q.*1.*art.*8.*ad* 2. concludit, locum ab authoritate humana infirmiſſimũ

eſſe,

eſſe, neque in humanis ſcientiis adhibendum, quippe quæ Ratione, non Authoritate comparantur; tantumque valet in philoſophicis ſtudiis cujuſcumque Sancti authoritas, quantum rationes quibus illa ſententia communitur. Præſertim quia SS.PP. circa hujuſmodi quæſtiones ferè nunquam loquuntur in propria ſententia, & *quaſi aſſerentes*, uti obſervavit idem Angelicus Præceptor *in 2.ſent.diſt.14. ar. 2.ſed ſicut utentes iis quæ in philoſophia didicerant: unde non ſunt majoris authoritatis, quàm dicta Philoſophorum quos ſequuntur, niſi in hoc quod ſunt ab omni infidelitatis ſuſpicione ſeparati; & ideo illæ authoritates parùm cogunt*: prout etiam dixerat *diſt.13.art.3.ad 1.* de S. Auguſtino aſſerente lucem eſſe corpus. Quod quidem totum de ipſomet S. Thoma ſimiliter dicere nihil vetat, nempe illum ſuas doctrinas non quaſi aſſerentem, ſed ut utentem iis quæ in philoſophia Ariſtotelica didicerat, tradidiſſe; atque adeò in iiſdem non eſſe majoris authoritatis, quàm ipſum Ariſtotelem: hic autem jure infallibilitatis non gaudet; ergo nec in prædictis S. Thomas.

115. Hinc non eſt cur pertimeſcas, Antiſtites quoſcumque ſapientiæ, ubi compereris à veritatis orbita deflectentes aberranteſque, deſerere, & tuum præcipitium præcavere: ita enim ipſos voluiſſe, nec aliud exegiſſe à nobis credendum eſt. Et ut à proximè commemorato ſcholarum Angelo probationes ordiamur: nonne hic ſciens & volens ſeipſum pluries deſerit, putà cùm *3. p. q. 63. art. 3.* ait: *Quod & aliquando mihi viſum eſt: ſed diligentiùs conſideranti apparet hoc etiam non eſſe verum, quia, &c.* & conſequenter ab aliis quoque deſeri permiſit, prout de facto non à Scotiſtis modò & Neutericis, ſed à ſuis ipſis diſcipulis aliquandò impunè deſeritur: utque omittam Durandum à S. Porciano, Thomam Campanellam, Dominicum de Vita, & ſimiles de Thomiſtica ſchola non multùm benemeritos, reticendus non eſt ſapientiſſimus Victoria, verè quidem Thomiſta, & de quo nihilominùs teſtatur Melchior Canus *12. de locis,* majorem gloriam fuiſſe conſecutum, quoties pro veritate deſeruit S. Thomam.

116. Profectò hanc prudentem animi

mi moderationem, & modeſtiæ virtutem didicerat Angelicus Doctor à Theologorum principe Auguſtino, cùm *lib. de bono perſeverantiæ cap 21.* in hæc pretioſa ac tanto viro digna prorupit verba: *Neminem velim ità amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec meipſum in omnibus me ſequutum fuiſſe demonſtrem.* In quâ quidem humili & heroica animi indifferentiâ, confundente ſuperbos ſpiritus in propria ignorantia pertinaces & inflexibiles, exceſſus quidam & miraculum ſapientiæ ſpecialiter emicuit. Rurſus tamen idem S. Doctor ſuam aperuit voluntatem *epiſt. 3. ad Fortunatum*, ſub finem, ubi: *Neque enim*, ait, *quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè invenerimus quòd aliter ſenſerint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta,*

 vel

vel à nobis. *Talis ego ſum in ſcriptis aliorum: tales volo eſſe intellectores meorum.*

117. Quòd ſi licet Sanctis Eccleſiæ Patribus, non ſine tamen debita reverentia, contradicere; cur non etiam ac multò rationabiliùs Ethnicis Philoſophis; cùm præſertim & ipſi, maximèque Ariſtoteles, nobis hoc præbuerint exemplum? Ipſe ſcilicet Platonem audierat, & Philoſophum divinum cum univerſa Græcia faſſus fuerat; & nihilominùs eundem deſerere & impugnare nequaquam timuit; immò (quod commendandum non eſt) inurbanè tractavit: ſic refert Theodoretus *ſerm*.5.*de nat.hom.* ubi, *Ariſtoteles*, inquit., *Platoni adhùc viventi manifeſtè adverſatus eſt, bellumque contra Academiam ſuſcepit neque doctrinæ illi honorem habuit, quam cupidiſſimè perceperat: neque celeberrimi viri gloriam eſt reveritus, ſed licenter illi adverſarium ſe præbuit, cùm haud ſanè meliorum, ſed multò pejorum dogmatum author extiterit*. Potuitne ergo ipſe aliud à nobis in ſe jus exigere & expectare? Certè nec potuit, nec expectavit, immò aliorum dictis, ubi de falſitate convicta fuerint,

rint, conſentiendum non eſſe, univerſim docuit *lib.* 13 *metaph.cap.* 1.his verbis: *Quæ ab aliis dicuntur, primò ſpeculandum eſt, ut tamen ſi quid non rectè dicant, non ſimus eiſdem cõſcii.* *Et* 1.*Eth.cap.*6.paratum vult unumquemque, ac præſertim philoſophum, pro veritatis ſalute ſua quoque propria refutare, quantò magis aliena? *Nam licet*, inquit, *amici ambo ſint, ſanctum eſt veritatem ipſis in honore anteponere.* Utinam notarent hoc Ariſtotelis conſilium Peripatetici; noſcerentque, tunc maximè magiſtro ſuo inhæſuros, cùm ejuſdem falſas ſententias refutaverint, & veritati poſthabuerint. Sed Peripateticorum principe longè religioſiùs locutus videtur Tullius 2.*Tuſcul.ſub init.*ubi Stoicorum omnium nomine ſic diſcurrit: *Nos quidem ſequimur probabilia, neque ultra id quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus; & refellere ſine percinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.* Religioſiſſimè tamen ille eximius ſciẽtiarum inſtaurator, & recentiorũ Scholarum Pater Emmanuel Maignan in *Præf.ad Phil.nat.*quẽlibet ex ſuis cãdidatis hortatur dicens: *In*

philoſophicis volo te Philoſophum eſſe, argum perſpicacem, non facilè credulum: ut nec mihi ipſi credas, niſi quod dixero tibi oſtenderim.

118. Atque hactenus intellexiſti, quænam ſit vera germanaque, ut fructum ex ſtudiis capias, philoſophandi ratio: nempè poſtpoſitâ omni humanâ authoritate, pro magiſtra Rationem, Libertatem pro duce eſſe in philoſophico curſu ſuſcipiendas. Et ſanè, ut patet ex dictis, niſi Rationi conſentanea ſit authoritas, ſequelâ & cultu indigna judicabitur; igitur ut rationabiliter & prudenter procedas, ad ipſam tandem Rationem, tamquam ad primum principium, rem reſolvere debebis. Quod totum inculcat Lactantius adverſus Gentes *lib. & cap. cit. num.* 13. hoc dilemmate: *Majoreſne potiùs, an Rationem ſequeris? Si Rationem majus, diſcedere te neceſſe eſt ab inſtitutis & authoritate Majorum, quoniam id ſolùm rectum eſt, quod Ratio præſcribit. Si autem pietas majores ſequi ſuacet; fatere igitur & ſtultos illos fuiſſe, qui excogitatis contra rationem religionibus ſerviunt, & te ineptum qui id colas; quod fal-*

falſum eſſe convi nceris.

119. Non negaverim, utile & glorioſum eſſe, captivare intellectum in obſequium divinæ fidei, proponentis myſteria ſupernaturalia, & præter omnem rationem credenda; periculoſum tamen indignumque Philoſopho eſt, in rebus naturalibus, noſtræque obſervationi ſubjectis, mentem captivare in obſequium hominis. Ergo annitentes & ſpeculantes, ſive propriis utentes oculis, aſſeclas ſuos exoptat Philoſophia: *oportetq;* ut dixit idem Lactant. *lib de orig. erroris, cap. 8. ſibi quenquam confidere, ſuoque judicio ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigatione poſſent, & audita perpendere...* Et profectò *cũ ſapere, ideſt veritatem quærere, omnibus ſit innatum; ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.*

120. Præterea quid indignius, ac philoſo-

juvare conati ſint, amore & veneratione debitâ proſequar; ſed veritati, ſi quando nobis offeretur, certiſſimè poſtponam: ita quòd (non aliter ac proteſtatur noſter Doctor) amicus Plato, amicus Socrates, amicus Ariſtoteles, omnes denique Doctores amici ſint; ſed omnium amiciſſima & chariſſima veritas.

CAP. XII.

De Opinione communi.

1. POſtremum omniumque fortè validiſſimum frænum, quod à ſcientifico progreſſu vivaciora ſolet ingenia retardare, videtur eſſe ſemidoctæ plebis conſpiratio, & communis Scholaſticorum Opinio, ſuâ prohibens authoritate, ne conceptos ſenſus proferamus, ac de rebus juxta proprium rationis dictamen enuntiemus. Etenim exoſus mũdo repentè fiet, & certiſſimas ſubibit perſecutiones; ſi quis avitam relinquens viam, privato ſuo ſpiritu ductus, novam & ſingularem inire doctrinæ ſemitam propoſuerit: unde his

his periculis deterriti homines, alioqui præſtantis indolis, malunt cum pluribus turpitèr errare, quàm cum paucis rectè ſentire.

2. Ut huic conſulatur incommodo, ſtudioſè diſcutiendum eſt, ſitne ibi reapsè majus aut veritatis argumentum, aut objectivæ certitudinis pondus, vel major ſaltem veriſimilitudo & probabilitas, ubi copioſior idem ſentientium abundat Authorum numerus: quantique demùm momenti in quacumque materia ac præſertim philoſophica cenſeri debeat communis opinio?

3. Atque ut ad noſtram de hac re opinionem, quæ uni de more favebit Rationi & Libertati, ſternamus viam; generalitèr præſupponimus, non ſemper verſari in melius electiones communiores, nec regularitèr eſſe perfecta, quæ numeroſa efficit approbatve multitudo. Idque primùm oſtendi poteſt cum ſæpe laudato Seneca ex praxi humanæ vitæ: nam plerumque homines, qui *ad malum proni ſunt ab*
Gen.8. 21. *adoleſcentia ſua*, melioribus relictis, deteriora cupiunt, & amplectuntur. Sic ille

ad

ad Gallionem *cap.* 2. *Cum de beata*, inquit, *vita agitur*; *non eſt quòd mihi illud diſſentientium more reſpondeas: Hæc pars major eſſe videtur; ideò enim pejor eſt. Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt.*

4. Et quòd ita ſit, præter antiquam Idolatriæ ſuperſtitionem, quæ per totum fermè fuit Romanum Imperium pervagata; præter prophanas hæreticorum factiones, præſertim Arii, quæ omnes propemodum Orientales populos inquinavit: cogita, quæſo, Turcarum ſectam, omnium procul dubio peſſimam & ſpurciſſimam, & nihilominùs tam longè latèque diffuſa eſt, ut Africam totam, quaſi totam Aſiam, portionem Europæ, Orbemque penè univerſum occupârit: ob unam ſcilicet, quæ cunctis placet, vivendi licentiam, ſeu quòd (quàm longè diverſo modo à propagatione Chriſtianæ Religionis!) ſenſui conſona doceat, carnalique voluptati laxet habenas. Cogita etiam, num tantam populi frequentiam, longâ licet ſacrarum campanarum pulſatione præmiſsâ, obtineant

neant in Templis verbi Dei Præcones; quantam Mimi & balatrones in plateis.
Jo.3.19. Ea certè eſt conditio hominum perditorũ, ut diligant magis tenebras, quàm lucem. Puritatem honeſtatemque paucis amantibus, fœditas naturâ ſuâ amatores plurimos invenire ſolet; cùmque ſapientes
Eccliſ.1.5. paucisſimi ſint, ſtultorum ingens, quin infinitus eſt numerus.

5. Hac profectò de cauſa docuit Lycei Magiſter laudatus *lib.1. num.36.* loquendum quidem eſſe cum multis, ſed tamen ſentiendum cum paucis; idemque Hiſpanus Philoſophus crebrò monet pro ſuſpectis habendas ejuſmodi conſpirationes, & gregariis opinionibus non facilè adhæreſcendum: quòd nimirum perſæpè erroneæ ſint, & rectæ vivendi rationi valdè præjudicent: *Nulla enim res*, ait, *nos majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea quæ magno aſſenſu recepta ſunt.* Atque ibidem *cap. 1.* *Verſat nos & præcipitat traditus per manus error. Sanabimur, ſi modò ſeparemur à cœtu.* Clariùs tamen *cap. 5.* de Vita beata: *Tritiſſima quæque via & celeberrima*

ma-

maximè decipit; nihil ergo magis præſtandum eſt, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur.

6. Secundò probat idipſum Joannes Ciampoli ex artibus & profeſſionibus, in quibus *modus communis* operandi, & *modus rudis atque imperfectus* ſunt ferè voces ſynonimæ: uti liquet in Muſica, Pictura, & artibus aliis quibuscumque; quia namque haberi vix poſſunt illarum profeſſores eximii (non enim omni ſæculo regnavit Orpheus, aut alius ei ſimilis; nec tam facile eſt ſemper reperire Titiânum aut Bonaroti;) perfecta opera, ſummoque pretio æſtimabilia ea judicantur, quæ rara ſunt & extraordinaria; communia verò & vulgaria pro vilibus habentur, velut partus vulgarium & negligentium ingeniorum, quæ cùm ad ſublimia & peregrina nequeant ſive tædeat aſſurgere, ordinaria tantummodò & communia concipiunt & moliuntur.

7. Ex quibus omnibus patet, Multitudinem ſecundùm ſe eſſe magis malitiæ ſuſpectam, quàm Paucitatem: unde *Pauci* apud

apud antiquos pro bonis ponebantur, *Multi* pro malis, authore Nonio apud Calepinum. Conſtat item Singularitatem ex ſuo genere indicare eminentiam virtutis & ingenii, ſive ſpeciale quoddam animi aut corporis à naturæ Authore conceſſum aliquibus privilegium, quod cæteris denegatum eſt; gloriamq; proinde & laudem nón autem reprehenſionem, qui eo utuntur promereri; ſicut gloriæ tribuitur à Plutarco, quòd Themiſtocles in omni re facere aliquid voluerit ſingulare. Niſi fortè amor proprius deſcriptus & damnatus à nobis toto *cap. 9.* in hoc etiam locum habeat, & ſolâ contradicendi vel ab aliis differendi libidine, aut unâ ingenii oſtentatione à Communitate recedamus: quemadmodum multi medicæ artis periti eas præſctiptiones, quas alioquin ipſi primò vocati optimas putaviſſent, æmulationis paſſione corrupti, reprobant aut ſaltem alterant, ne aliorum qui illas concepere, judicium ſequantur; & Adrianus I. inter Romanos Cæſares, Barbarorum more barbam nutrivit, nõ alio fine ductus, niſi ut ità ab aliis

qui

qui ante eum regnaverant, differre videretur, ut refert Fulgent. *lib.3. cap.6.*

8. Hac porrò ſuppoſitâ univerſali doctrinâ, facilè determinari poteſt, quid circa ſcientias & intellectivas facultates dicendum ſit: videlicet Multitudinis aſſenſum tantùm abeſſe ut probet veritatem Opinionis, & probabilitatem inducat, quòd potiùs falſitatis indicium præbeat, & dubitandi motivum. At ne rem adeò gravem, & tanti pro omni materia momenti, ſine debitis animadverſionibus diſtinctionibusque decidamus; ante omnia monemus, in omnibus & quibuscunque controverſiis, temerè & ſine evidenti ratione, ſive leviſſimis tantùm conjecturis, à receptiſsima omnium ſententia, ob vanam gloriolæ humanæ auram diſcedere, & ſolo, ut diximus, ambitionis ſtimulo ſingularitatem affectare, arrogantiæ genus eſſe, ac ſuperbiæ crimen valde odioſum, quod regnare ſolet in Sciolis & Hæreticis, nimiùm de ſe præſumentibus. Prætcrea concedendum eſt, quòd in iis rebus, quæ ſolâ ſuſtineri debent authoritate, ut plerumque ſunt illæ, quæ ad fo-

rum ſpectant, item quæ concernunt materiam facti particularis, aut myſteria fidei, communis Doctorum opinio faciat ſummam certitudinẽ: v.g. ſi omnes Patres & Theologi unanimi conſenſu affirment aliquid eſſe de Fide Catholica credendũ; tunc illud tanquam de fide certiſsimè tenendum eſt, ut notavit ſubtiliſsimus Cardenas in Criſi Theologica *tract. 1. de probabilitate diſp. 12. c. 1.* Idem dicendum in illis, quorum reſolutio dependet omninò à judicio prudentum, tanquam à menſura extrinſeca: tunc enim communem Doctorum ſententiam facere evidentiam moralem, probat idem Author *n. 4* exemplo gravitatis vel levitatis materiæ, quæ in præceptis conſiderantur: nam ſi omnes conſpirent in deſignanda gravitate, vel levitate talis materiæ, id tanquam certum moraliter habendum eſt: v.g. materiæ parvitas in jejunio, cùm in duabus conſiſtat unciis, ſi tres vel quatuor pro cibo ſumãtur, frangitur jejunium, non aliâ utique ratione, niſi quia omnes prudentes Theologi in hoc judicium conſpirant, & ſic in conſimilibus.

Atque

9. Atque de his tantùm materiis putaverim cum P. Maignano Philoſ. ſacræ *tom.*1.*cap.*1.locutum MelchioremCanum, ubi *lib.8.de locis c.4.concl.2.* docuit ex Authorum omnium Scholaſticorum communi ſententia in re quidem gravi uſque adeo probabilia ſumi argumenta, ut illis refragari temerarium ſit: item concordi omnium Theologorum ſcholæ, non ſolùm de fide, ſed etiam de moribus ſententiæ contradicere, ſi hæreſis non eſt, at hæreſi proximum eſſe. Nam in aliis, quæ rationibus ab intrinſeco regulantur, materializat omninò DD. calculus, nudaque Authorum nomina, etſi millena ſint, non faciunt opinionem probabilem, ut in terminis habet Illuſtriſſimus Joannes Caramuel Apologemate de probabilitate opinionis *epiſt.* 2. ad Eminentiſſimum Sfortiam Pallavicinum; imò particularis opinio, ſi fortè efficacem ac firmam rationem habeat, meritò multorum ſententiis erit præponenda, ut cum Azorio, Enriquez, & Villalobus, docet Caſtropalaus *tom.*1.*diſp.*2. *punct.*1.*n.*11. juxta textum *in cap. Cappellanus de Feriis*, & ipſum jus Cæſareum

l. 1. §. *neque*, *Cod. de veteri jure enucleando*, ubi: *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & equius eſt, judicare debet; cùm poſſit unius forſan & deterioris ſententia*, ob efficaces ſcilicet, quibus nitatur, rationes, *multos & majores aliqua in parte ſuperare.*

8. Sed omittam ultrò communiorem opinionem, etiam in materiis quæ ratione fulciuntur, cæteris paribus, amplectendam eſſe, & particulari regulariter præferendam: dummodò conſtet revera eſſe opinionem communem. Quæ autem, ut talis ſit, conditiones requirantur, tradit diſertè Caſtropalaus *diſp.* 2. *punct.* 1. *n.* 10. ubi: *Communis*, inquit, *opinio eſt, quæ à DD. eam ex profeſſo tractantibus communiter defenditur; nam ſi perfunctoriè ſolùm de illa tractent, etiam ſi plures ſunt, non æquivalent paucis eam ex profeſſo diſputantibus. Debent tamen ii DD. ex profeſſo quæſtionem diſputantes, certi Doctoris doctrinæ non eſſe ita addicti, ut eum tamquam oves & volucres unam prætereuntem ſequantur; nam tunc non communem opinionem ſed ſingularem efficiunt*; citatque Azorium, Meno-

nochium, Alciatum, Navarrum, & Joannem Sanchez, quibus ego addiderim Merollam *tom.1. diſp.3. cap.4. dub. 1. num.19.* ubi ſic diſcurrit. Tertium eſt, cùm dicitur cæteris paribus communem opinionem eſſe amplectendam, non debere cenſeri magis communem opinionem ex eo quòd eam plures numero Doctores ſequantur, maximè quando eam plures ſequuntur turmatim tamquam oves, aliæ alias quæ præcedunt, ſine judicio ſequentes, & velut aves, quæ unam volantem, aliæ omnes ſequuntur (ut contingit in iis, qui ſunt ejuſdem factionis:) ii enim quamvis numero plures, opinionẽ tamen cõmuniorem non faciunt, ſed communior ea dicenda & cenſenda eſt, quam ſequuntur ſex aut ſeptem Authores claſſici, viri docti, rem illam ex profeſſo diſputantes, & optimis rationibus confirmantes, qui in nullius Doctoris verba juraſſe videntur; hæc enim præferenda eſt illi, quæ à quinquaginta aliis, qui ſolâ ferè authoritate priorum ducuntur, probata eſt. Hactenus Merolla: ex quo infert Navarrus, ut ipſemet teſtatur, non eſſe admodum laudandos

quoſdam Recentiores, qui diligentiores ſunt in computando numero Doctorum alicujus opinionis, quàm in rationibus & argumentis aliorum examinandis, & diſcutendis.

11. Et ſanè ubi ex pluribus, qui ſententiam aliquam ſuſtinent, nemo eſt qui examinat, & proprii ingenii motiva adducit, ſed unius Anteſignani ſenſum ſinguli referunt & tranſcribunt, videtur ea dicenda potiùs exemplum ſive copia communis, quàm opinio communis. Equidem, ut appoſitè notavit laudatus Ciampoli, illa potuit jure appellari opinio communis, quæ olim concepta fuit à Septuaginta, ſeu veriùs 72. Interpretibus Sacræ Scripturæ, qui, ſi credamus Philoni, Juſtino, Irenæo, Cyrillo, Auguſtino & Euſebio, à Ptolæmeo Philadelpho, Ægypti Rege, Alexandriam in Ægypto, ſeu in vicinam Urbi illi Inſulam Pharo convocati, & cellulis diviſi, itaut inter ſe conferre non poſſent: unanimes nihilominus in verſione Bibliæ Hæbraicæ in Græcum idioma mirabiliter conſenſere. Cæterùm ſi in eo conventu unus fuiſſet traductor, & poſtea traductio-

nem

nem ſuam illis 70. Scriptoribus dictaſſet, fuiſſet certè tranſumptum ſive copia communis, non opinio communis. Similiter ſi centum teſtes deponerent ſuper uno delicto, & allegantes cauſam eorum ſcientiæ; ad unum ſinguli ſe referrent authorem: nonnè injuſtus eſſet Judex, ſi pro fama publica haberet, quæ revera eſſet teſtificatio unica & ſingularis?

12. Porrò hoc totum accidere in omnibus penè ſententiis, quæ communis opinionis nomen & authoritatem ſibi uſurpant apud Morales Theologos, obſervavit citatus Doctor Caramuel in ſua Theologia morali fundamentali *num.* 1989. ubi proptereà docet, poſſe aliquem diffidere ſententiis communibus, *nam quæ omnes dicunt, pauci aut nulli examinant*. Et in Apologemate nuper citato poſtquam ſtatuit multitudinem Authorum non augere gradum probabilitati, rationem hujus rei ſubjungens, ait: *Contingit enim ut ſicut oves ovem, ſic Authores aliquem Authorem ſequantur; & tunc non dabunt de ratione ipſa teſtimonium, ſed de ſola Anteſignani authoritate: unde naſcitur, multas interdum opi-*

niones communes eſſe falſas; quod enim omnes ſupponunt, & nemo examinat, non habet authenticam probabilitatem. Multò magis id evenire videtur apud Philoſophos, qui cùm in plures factiones diviſi ſint, itaut alii Thomiſtæ, alii Scotiſtæ, Ægidiani alii, alii Bacconiſtæ, alii item Nominales, alii Reales dicti, quidam vero Carteſiani, aut Gaſſendiſtæ, vel Maignaniſtæ: & unuſquiſque ferè tranſcribit rationes Magiſtri ſui, paucis rem examinantibus, & ſuo judicio ingenuè perpendentibus: ii, inquam, etſi infiniti ſint, non faciunt majorem authoritatem, quàm unus Thomas, unus Scotus, unus Ægidius, unus Bacconus, unus Okam, breviùs dixerim (cùm omnes hi ſint Ariſtotelici) quàm unus Ariſtoteles, & ſic de aliis reſpectivè.

13. At quis, inquies, ſcire poteſt, ſi hujuſmodi perpendunt motiva ſuæ ſententiæ, nec ne? Reſpondeo id ſatis dignoſci tum à priori ex eo quòd uni ſuæ ſcholæ addicti, in magiſtri verba jurârunt ante annos perfectæ diſcretionis, quod præjudiciorum multorum cauſam eſſe præmiſimus

mus *cap 3.n.29.* tum etiam à poſteriori ex regula poſita per Illuſtriſſimum Ciampoli: ſi .n. omnes affirment aliquid tanquam certum, cujus tamen experimẽtum in contrarium fieri facillimè poſſet omni tempore, & in omni loco, evidens ſignum eſt à nemine rem perpendi & examinari, ſed cęcâ tantùm credulitate trãſcribi. Sic autẽ contingit paſſim in naturali philoſophia: & ut deſcendam ad caſum aliquem particularem, taceamque opinionem illam communem & antiquiſſimam de deſcenſu duorum gravium inæqualium, putà lapidis mille librarum & libræ unius, quorum priorem volunt multò citiùs quàm alium, nempe milleno velocitatis gradu ad terram deſcendere; cujus contrariũ unuſquiſque à ſua feneſtra experiri poterat: nonne communiſſima & à tot ſæculis recepta opinio eſt *Converſionis aquæ in vinũ?* cùm tamen hyemali tempore, quando adeſt frigus aptum ad congelationem, deprehendere quilibet oppoſitum potuiſſet; quatenus etſi vinum, cui multò ante immixta modica aqua fuit, congelari videatur, illud tamen, inclinato vaſe, ſenſim effunditur.

14. Quic-

14. Quicquid ergo ſit de theologicis quæſtionibus, ſive ſcholaſticis ſive moralibus, à quibus hic præſcindere volumus, nõ eſt cur ſaltem in hac materia communem tantopere magnifices opinionem, quæ ferè nunquam talis eſt, qualis verbo effertur. Neque etiam eſt cur ex communi opinione ſic prætenſa, ſive ex eo quòd innumerabilis Doctorum cætus tuæ videatur favere opinioni, argumentum efficias veritatis, & oppoſitas taxare audeas meditationes: nam præterquamquòd ſimile argumentum fieri poſſet pro Mahumetiſmo, quod ſolvi nequit, niſi pro vera ſupponamus doctrinam traditam *num. 2. & ſequ.* quid quæſo intereſt in re philoſofica, pauci ne an plures in ſententiã conveniant, cùm non ſit ad ſalutem animæ pertinens, in illaque perinde ut unus, ſic omnes homines, quatenus homines ſunt, errare potuerunt; ut notavit Auguſtinus *epiſt.* 29. & nos cum ipſo, ſuperiori capite, *à num.* 113. Quid refert catalogum infinitum Scriptorum texere, ubi mille Doctorum nomina tantum hac jure valent, quantum una eorum ratio, juxta pluries à nobis dicta?

ęta? præſertim ſi illi aut modicæ ſint authoritatis, aut de Anteſignani ſui partialitate ſuſpecti, aut, quod eòdem redit, tales, qui cùm oculos mentis ab alienæ doctrinæ conſideratione retrahant, & in unum tantùm, in quē ſemel jurârunt, cæco veluti impetu ferantur, textibuſque plerumque illius, & rationibus ejuſdem ſententias probent: unus potiùs, quàm plures dicendi ſint, prout nos ſuprà advertimus, deque Peripateticis ſentire videtur Paulus Areſius, & ipſe Peripateticus, prudens tamen atque ingenuus, dicens *diſp.1.de Gener. & Corrupt. queſt.33. ſect.4. Non tam in una amplectenda ſententia, quàm in uno colendo Ariſtotele Philoſophi quandoque conveniunt: ex quo efficitur, ut cùm verbis Ariſtotelis loquuntur, non pluris fere eorum omnium ſit æſtimanda authoritas, quàm unius Ariſtotelis, à qua diſcedere nefas non eſſe jam probavimus.*

15. Itaque libertatis uſu ſemper vigente, abſit ut à pruritu ambitionis, nihil non vile & indignum admittentis, tanquam mortuum lignum à Torrente duci permittas; neque etiam, cùm pro te ratio milita-

ve-

verit, à tumultuante caterva Sectariorum à te diſſentientium expaveſcas, ſicut irruentes in ſe infidelium turbas non expaverunt invicti atletæ Domini, quominùs veras & Evangelicas Chriſti doctrinas liberè prædicarent. Haud ignoramus quidem, quòd obſequium amicos, veritas odium pariat; nec nos latet hominum benevolentiam & honores conniventiâ & adulatione maximè comparari, unde ſapientiæ moralis & civilis *Præcept. lib.4. Negat quis?* (inquit) *nego: ait? aio: poſtremò imperavi egomet mih: omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt multò uberrimus.* Scimus denique, atque ab ipſo *cap.3.n.31.* doluimus cum Ludovico Vives, animi ingènuitatem, intentionis rectitudinem, veræque cognitionis ſtudium, indecoro paſſim temeritatis, præſumptionis, fatuitatis, hæreſis nomine compellari à factionariis. Hujuſmodi nihilominus ſimileſque adverſitates & injuriæ minimè nos detinent, quin inter apertos adverſantium Doctorum exercitus, ſenſum noſtrum, ubi rationi conſentaneus videbitur, liberrimo ſpiritu proferamus, ſcientes quòd pro ve-

ritate

ritate tormenta, carceres, irriſiones, inimicitias, dejectiones à dignitate, mortes, & cuncta pericula ſubire, glorioſum eſt. Certè ut ſapientiſſimè dixit Apoſtolus, *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*; ſic ego dicam ſimiliter: ſi hominibus hujus generis arriderem, aut vulgi ſenſui me accomodarem, proque hominum captanda gratia mentiri poſſem; nec φιλόσοφος eſſem, nec ÆTERNÆ diſcipulus VERITATIS. Gal. 1. 10

F I N I S.

SIL-

SYLLABUS

LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER I.

De Natura & qualitate Philoſophiæ Rationalis pag. 1.

Cap. 1. *Nomen, Definitio, Ortus, Præſtantia, Arduitaſque Philoſophiæ Rationalis.* 2.

Cap. 2. *An aliqua Logica ab ipſo orbe condito ad nos profluxerit.* 9.

Cap. 3. *An Logica vulgaris Inventor fuerit Ariſtoteles.* 15.

Cap. 4. *De Logicæ diviſione.* 24.

Cap. 5. *An præter habitum Logicæ præceptivum, detur alius executivus.* 29.

Cap. 6. *Num Logica ſit una ſimplex, ut ajunt, qualitas.* 36.

Cap. 7. *Utrùm Logica ſit Scientia, vel Ars.* 41.

Cap. 8. *Sitnè Logica ſpeculativa, vel practica.* 50.

Cap. 9. *De objecto Logicæ in communi.* 59.

Cap.

Digitized by Google

Cap.10. *De objecto Logicę in particulari.* 67.
Cap.11. *An, & quæ ſit Logica artificialis ut ſic utilitas & neceſſitas.* 71.
Cap.12. *Potiſsima doctrinæ communioris fundamenta.* 84.
Cap.13. *De Logica vulgaris vanitate.* 95.
Cap.14. *Elucidantur magis dicta argumentis contrariis.* 116.

LIBER II.

De mentis humanæ functionibus.pag. 126.

Cap.1. *Quid ſit operatio intellectus, & quotuplex.* 127.
Cap.2. *Utrùm communis diviſio Operationis intellectus ritè ſuſtineatur.* 133.
Cap.3. *Ad quam operationem intellectus pertineat actus dubius.* 146.
Cap.4. *De origine humanæ cognitionis.* 151.
Cap.5. *An omnis noſtra cognitio à ſenſibus dependeat.* 161.
Cap.6. *De ſenſuum fidelitate.* 170.
Cap.7. *Quid Veritas, & Falſitas.* 180.
Cap.8. *Utrùm Veritas & Falſitas ſuſcipiant magis & minus.* 181.
Cap.9. *Sitne falſitatis, aut alterius defectus capax Apprehenſio ſimplex.* 192.

LI-

LIBER III.

De Fontibus Mentalium vitiorum. pag. 199.

Cap.1. *De Naturæ humanæ imbecillitate.* 200.

Cap.2. *De aliis vitiorum cauſis, ordinem cùm naturæ, tùm fortunæ concernentibus.* 209.

Cap.3. *De primæ ætatis Præjudiciis.* 219.

Cap.4. *De Attentionis defectu.* 231.

Cap.5. *An & qualitèr de omnibus dubitandum.* 240.

Cap.6. *An, & quando credendum ſenſibus.* 250.

Cap.7. *Quænam liceat, vel oporteat ſenſu interno, aut externo percipi.* 269.

Cap.8. *De ſpecierum confuſione, & multiformi loquendi genere.*

Cap.9. *De Philautia, & conſimilibus mentis humanæ faſcinationibus.* 291.

Cap.10. *De Novitate Vetuſtateque Opinionum.* 303.

Cap.11. *De Doctorum authoritate.* 319.

Cap.12. *De Opinione communi.* 341.